Quæ puriores fonte de viuo fluunt,
A vase vitium facilius trahunt aquæ.
Qui Gallicano lætior currit sono,
Genium Jacobi Maximi solido, graui,
Vegeto, rotundo, masculo referens stylo;
Tralatione deteri fateor Librum,
Et cuirari. Calamus hic noster, vice
Canalis, heu quam plumbei, viuæ impigrum
Venæ fluorem torpido tardat gelu,
Styliq; florem vitiat. Est tanti tamen
Ripis retentam Gallicis scaturiginem
Laxare, vel sic; huic salubrem sæculo
Contra nefandam Regniuortij luem,
Contra execrandum Regicidij scelus,
Ac Regifugij molle nomen, ominis
Haud mitioris. tortilis quales struit
Hic Cardinalis, Regum in exitium, strophas;
Perire jussas, inq; rem malam datas,
Jam Jura Declarante Rege Regia.

Quæ puriores fonte de vivo fluunt,
A vase vitium faciliùs trahunt aquæ.
Qui Gallicano lætior currit sono,
Genium Jacobi Maximi solido, gravi,
Vegeto, rotundo, masculo referens stylo;
Tralatione deteri fateor Librum,
Et cuirari. Calamus hic noster, vice
Canalis, heu quam plumbei, vivæ impigrum
Venæ fluorem torpido tardat gelu,
Styliq; florem vitiat. Est tanti tamen
Ripis retentam Gallicis scaturiginem
Laxare, vel sic; huic salubrem sæculo
Contra nefandam Regnivortij luem,
Contra execrandum Regicidij scelus,
Ac Regifugij molle nomen, ominis
Haud mitioris. tortilis quales struit
Hic Cardinalis, Regum in exitium, strophas;
Perire jussas, inq; rem malam datas,
Jam Jura Declarante Rege Regia.

SERENISSIMI IACOBI, MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REGIS, FIDEI Defensoris,

DECLARATIO PRO IVRE REGIO, SCEPTRORVMQVE immunitate.

ADVERSVS ILLVSTRISS. CARDINALIS PERRONII ORATIONEM, IN COMITIIS Franciæ generalibus ad Ordinem plebeium Parisijs habitam

18 *Cal. Febr.* 1615.



LONDINI,

Ex Officina NORTONIANA,

Apud IOANNEM BILLIVM.

M.DC.XVI.

Cum Priuilegio Regis.



Seneca in Oedipode.

Functi cineribus Regis hoc decuit dari:
Ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
Regi tuenda est maximè Regum salus.



PRÆFATIO.

NON est mihi ingenium in alienâ Republicâ curiosum, vt me rebus vicinorum immisceam, nisi aduocatus: cùm Regiâ scilicet, ad quam nasci, in qua educari me voluit Deus, dignitate coniunctius semper iudicaui subditis meis Leges, quàm exteris consilia præscribere. Veruntamen pro singulari, quo fratrem honoratissimum fœlicis memoriæ Regem Henricum IV. complexus sum, amore; pro immenso, quem concepi, dolore ex nefario ac execrando, quo tanti Regis vita, virtusq; interclusa est, parricidio; denique pro recenti periculorum memoriâ, quibus meipsum propè implicârunt redundantes ex eodem fonte coniurationes, non possum amicorum calamitatibus socium me, consortemq; non annumerare: eò certè grauioribus, quo ipsi, quorum proximè ceruicibus imminent, Reges ab earum sensu absunt quàm longissimè. Quos si minùs expergefecerint frequentes adeò commonefactiones meæ, me saltem

grata posteritas, quòd temporibus non defuerim, quòd in periculis tantis, tamq́ praesentibus consilij auxilijq́ conferendi auidus prodierim, testimonio iusto prosequetur: ac futuras, si quae (quod absit) imposterum euenerint, Regnorum demolitiones, sacriq́ sanguinis effusiones silentio nostro neutiquam imputabunt. Etenim meipsum quod attinet, isthaec huic pectori persuasio penitùs insedit, hac praecipuè causâ Deum me in Regale solium euexisse, vt ipsius maiestatem in Vicariis suis, Collegis meis fœde conculcatam vindicatura vox mea, quasi ex editiore suggesto proloquentis, distinctiùs & à pluribus possit exaudiri.

Verùm, in Galliam vt iam reuertar, vniuersis illius Regni Ordinibus in Parisiorum metropoli nuper coeuntibus, spes mihi non exigua affulsit, in illud vnâ omnes incubituros, vt grassanti huic malo remedium aliquod aptum excogitarent. Quid enim aliud gentis illius oculis obiectant recentes Regum suorum lanienae? quid conflata nuper, sacrae scilicet confœderationis praetextu, bella intestina? (quae nempe tempestates statim à fulminibus per Papas displosis illorum capitibus ingruebant, non secùs ac tonitruorum murmura subintercipit lapidosae grandinis imber.) quid aliud denique

que submonent adeò frequentes libelli emissarii ad comprobandam Regum de solio vitaq; deturbationem compositi? Nec hac solùm spe, sed & gaudio haud mediocri sum erectus, cùm intelligerem à populo Gallicano vniuerso (quem Ordo ille Tertius repræsentat) liberam ipsorum sententiam, illo in Conuentu propositam, ac in Articuli formam esse redactam, qui vndique perniciosum illud dogma, hinc de Papæ in Regibus abdicandis potestate, illinc de obtinenda per Regicidij palæstram Martyrii coronâ, vtroque cornu multaret. Verùm planè contrà accidisse sentio. Isthæc enim spei plena Ordinis plebeii vox (reuera nil aliud nisi vltimus moribundæ libertatis anhelitus) ad seruitutem aggrauandam, Regumque ceruices sub iugum durius mittendas aditum patefecit. Ut enim, quibus æger non leuatur, medicamentis, ægritudo plerumque augetur, atque ingrauescit: ita remedium hoc à Tertio illo Ordine adhibitum, morbum medici impatientem magis exacerbauit. Adeo medelam omnem, vtvt sua natura salutarem, humores vitiosi peccantesque superârunt, ipsa castigatione prouocati, factique irritatiores. Ac, vt quod res est dicam, hanc fuisset satius omnino non commouisse Camarinam, quàm, mota quæstione,

sinere factionis peregrinæ potentiâ victam succumbere veritatem. Quippe cùm in celeberrimo Ordinum Regni amplißimi omnium Conuentu, etiam Præsulis doctrinâ ac authoritate pollentis voce, uniuersi Cleri Gallicani nomine perorantis, suffragante itidem Nobilium cohorte, promulgata fuerit, acerrimèque defensa papalis in sceptra Regia potestas, nullâ in contrariam partem subsequente sententiâ abrogatoriâ; nec solùm hoc, sed & interueniente scriptisque consignatâ laudatoriâ Pontificis gratulatione, panegyrica hæc, quæ mitræ diadema mancipat, oratio typis, etiam Cum Priuilegio Regio *excusa, euolauerit: neque hoc tantum, sed etiam ad me eiusdem exemplar ab ipso authore fuerit dono missum, hac scil. spe freto, quod ex eius libelli perlectione mihi de hoc argumento satisfieret: his positis, verè mihi videor dicturus, statim à celebrato hoc Concessu, vagam & ambigua lance pendulam, fluctuasse Maiestatem; adeoq; ex doctrina hac publicè per Clerum defensa, quis iam sit Francorum Rex haud iniuriâ posse dubitari. Qui enim ad arbitrium nutumque alterius gestat purpuram, ex Pontificis scilicet Romani Decreto exuendam, is proculdubio Rex est tantum titulo tenus. Nec in temporalibus potest*

test haberi supremus, qui superioris cuiuspiam iussu omnibus temporalibus iure atque ordine potest denudari.

Quod si ipsum plebeij Ordinis postulatum propiùs intueamur, nil aliud eius assertores affectasse reperiemus, quàm vt ipsorum Rex pro vero Rege, & intra ditiones suas supremo agnosceretur, & vt ipsius trucidatio inter opera pia Deoque accepta minime censeretur. Hoc cùm fuerit ab Ecclesiasticis Nobilibusque oppugnatum, ac ceu dogma perniciosum, ceu fons schismatum, ceu ianua ad omne genus hæreses aperta tanto ardore impetitum, vt palam contenderetur, admisso semel hoc articulo, sequi continuò Ecclesiam a multis iam sæculis in Antichristi Regnum, & Synagogam Satanæ degenerasse, iure certè optimo Pontifex literas triumphi, ac gloriarum fœtas ad Proceres, Clerumq; (fidos erga se hac in causâ asseclas) confestim exarauit: nactus scil. de quo iure possit gloriari, deiectam Maiestatem, deuictos ac iussa doctos pati Monarchas: id vero præstitum virtute ac robore generosissimæ Nobilitatis, quæ fortiter ac strenuè se opposuit illi Ordini, quos honoris causâ benedictionum diues Sanctus Pater nebulones ex fœce plebis *cognominat: vtpote*

Authore non ab vno mihi indicatum est has voces in literis Papalibus ad Nobiles datis contineri, vtcunque postea ex impressis transcriptisque exemplaribus sint erasæ.

qui

qui pro Regis sui incolumitate ac salute nimis sollicitè se gerere, supra alios sapere, adeoq; doctoribus suis ad ferulam reuocatis lectionem dictare audaculè sunt conati.

Jam verò a Populari, ordinem Ecclesiasticum pijs erga Regem officijs superari, quid mirum? cum inter Pontificios vniuersi Clericorum titulo gaudentes, negent Regum subditis se annumerandos, alium sibi dominum arrogent, aliud, a quo pendent caput prospectent extra natiuam, in quâ degunt regionem, proni semper, proiectiq; ad illam (cuius se partem profitentur) Monarchiam amplificandam; quod a me alibi fusiùs est demonstratum: Atqui politici corporis dextram manum, in caput, cui protegendo nata est, colaphis sæuituram quis credat? hoc est ab honoratissima Procerum phalange (forti fidaq; Regum dextra semper habita) Regiam prostitui dignitatem, illudq; apertè defendi, Regem suum esse abdicabilem: Ex quo necessariò sequitur, eundem, si depulsus, ius tamen suum deserere noluerit, posse etiam licitè occidi. Hic ego quid aliud consulam Nobilitati Gallicanæ, quàm vt sua sibi exuat splendoris honorisq; ornamenta in plebeium ordinem aptiùs transferenda, vtpote solos indole verè Nobili præditos,

vnicos

vnicos Maiestatis vindices; quos à Regiæ dignitatis, salutisq́ tuendo propugnaculo, superiorum Ordinum nec exempla abducere, nec promissa flectere, nec minæ frangere potuerunt.

Ex ordine autem Ecclesiastico is, quo nemo famæ existimationisq́ suæ magis prodigus, nemo minus de Rep. Gallicana benemeritus, primus occurrit Dominus Cardinalis Perronius, vir cæteroqui rerum plurimarum scientiâ, dicendiq́ suauitate non incelebris; hic nuper duplici oratione, apud Nobiles priore, secundâ apud populares habitâ, in illud omnes ingenij sui neruos intenderat, vt sententiam illam, quæ Papæ Reges solio deponendi potestatem adimit, infamem, odiosamq́ redderet. Eapropter schismatum scaturiginem, omnium hæresium portam, hanc doctrinam appellat; adeo deniq́ue abominabilem, vt sibi suisq́ue Coepiscopis, potiusquam eidem aßensum præbeant, martyrium clamet subeundum. Quam quidem animi obstinationem in hoc magis quàm quoquam alio demiror, quippe qui non solùm Henrico nuper Regi, religionem contrariam adhuc amplectenti, & per Papam Exrege declarato, per annos non paucos se applicuerit, sed etiam in consessu quodam, in Iacobitarũ Cœnobio Parisijs olim celebrato, Legato Pontificio

Dominium Papæ temporale pro fidei articulo obtrudenti, animosè restiterit. Iam vero in gemina hac oratione Palinodiam videtur quandam concinuisse, vniuersæq́ vitæ anteactæ damnationem ore styloq́ promulgasse. Neque id quidem temerè: Scilicet tempestati obsecundans mutauit vir prudens velificationem, & , quod nuper, viuo ac regnante patre, mussitare non audebat, succedente iam filio propter annorum teneritudinem, recentemq́ solij paterni aditum, iniuriis fraudibusque exposito, non veretur palàm venditare.

Harum declamationum illam, quæ in Nobilium cœtu recitata est, ne Papæ offensionem incurreret, luce multauit: quòd ibi sæpiusculè doctrinam hanc ancipiti, & fluctuoso problematis nomine insigniuerit: quodque meæ ditionis Catholicos audacter asseuerauerit ad obedientiam mihi præstandam obligatos; cum contra, probè nouerit à Domino suo Papa, & hoc de Regibus à se deponendis dogma, vt prorsus necessarium proponi, & fidelitatem mihi à subditis Papistis præstitam, vel præstandam nullatenus approbari. Quod si alterius orationis edito compendio fides adhibenda, in qua Pontificis Romani potestatem parilem facit cum illa Veneti Ducis, (ita vt, velut hic Serenissimæ Reipublicæ,

ſic ille Eccleſiæ nomine honores ad ſe delatos recipiat) haudquaquam miror, quod, ne frontem contraheret Sanctus Pater, inter imprimendum hanc & ſimiles clauſulas eraſerit.

Hanc itaque ſic viſum eſt ei typis publicare, ac eius exemplar ad me pro ſua benignitate tranſmittere: quo quidem perlecto, ſtatim perſpexi quantum interſit inter virum ex animo, liberéque proloquentem, ac eum qui obloquente ſcientiâ reluctante conſcientiâ rhetoricatur. Ita certè parum ſui memor eſt, vt vbique ferè ſibi ipſe contradicat, adeo latebroſum dicendi genus conſectatur, vt nihil magis veritus videri poſſit, quàm ne intelligeretur.

Primò, Quæſtionem hanc agnoſcit nec per ſacras Scripturas, nec ex veteris Eccleſiæ Decretis, nec ex proceſſuum Eccleſiaſticorum analogia adhuc eſſe deciſam: aſſerit nihilominus pro impia & execranda habere hanc doctrinam, quæ Papæ Reges exauthorandi poteſtatem denegat, eſſe vnâ operâ tenere, multis ſæculis retroactis nullam omnino fuiſſe, aut iam eſſe Eccleſiam, eamque in Antichriſti ſynagogam computruiſſe.

Specimina duodecim, ex quibus patet Dom. Cardinalem contra animi ſui ſententiam paſſim hac in oratione loquutum.

Pag. 85.

Secundò, Auditores hortatur ſuos, vt hanc doctrinam ſaltem teneant pro problematicâ & non neceſſariâ: interim verò eoſdem monet, vt hac in

causâ se submittant iudicio Papæ ac Cleri, à quo iam anteà est determinata.

Tertiò, Asserit, recepto semel hoc Articulo, sequi Papam esse Antichristum: subiungit tamen Papam permittere, vt Galli complures dogma Pontificio dogmati contrarium hac in re tueantur; modò idem, non vt necessarium, aut ad fidem pertinens proponant: Quasi verò cuiquam Papa condonet, vt doctrinam suæ repugnantem quocumque modo tueatur, eam præcipuè, ex quâ sequitur se esse Antichristum.

Pag. 99.

Quartò, Cùm se Martyrio potiùs deuoueat, quàm in eam eat sententiam, quæ Reges negat à Papa deturbabiles; fatetur tamen Papam Gallis indulgere, vt hoc dogma habeant pro problematico. Ergo, quod ille subditurus est, nil aliud quàm problematicum esset martyrium, de quo possit iure disputari, vtrum inter peccata, an furores, an iusta denique supplicia foret numerandum.

Quinto, In Regicidas anathema execrationesque vibrat: verùm alibi se explicat locutum de Regibus, dum manent Reges. Regem autem Regno deiectum pro Non-rege haberi quis nescit? Ita ille scelus, qui Henricum III. a Papa Exregem declaratum transfodit, non Regem, sed laruam, occidit.

Sexto,

Sexto, Regem occidi non patitur: eundem tamen munimentis vult ſpoliari, quibus ſe vitamque ſuam contra vim defendat.

Septimo, Regem ex improuiſo ſicâ tranſuerberari, illud non laudat, ne cum corpore anima ſimul male pereat: verum Marte aperto inter instructas acies verſantem cuſpide, aut globulo perterebrari hoc Cardinalem non male habet: Quaſi hoc modo miſelli Regis animæ ſaluandæ oppidò proſpiciatur. Pag. 95. & 97.

Octauo, In Rege abdicato reſidere concedit characterẽ quendam politicum, hoc eſt inhærentem habitudinem, cuius vi poßit, postquam ad bonam frugem redierit, regno restitui. Interea (quod abſurdum creditu) tacitè ſuadere conatur nouum invaſorem, hoſti depulſo, non modo vitam largiri, ſed & pœnitentiæ fructus proferenti, regnum velle bona fide reſtituere.

Nono, Toto dictionis tractu profitetur ſe hanc quæſtionem tantum problematicè agitare, nec temerè vllam in partem ſtatuere: interim pro ſententia illa, quæ Papæ Reges deponendi facultatem arrogat, voce manuque tota pugnat, obiectiones diluit, Pontificum, ac Conciliorum, nominatim Lateranenſis ſub Innocentio III. celebrati de-

creta, in medium affert, consensum Ecclesiæ allegat: cui contravenire est, inquit, apertum schisma introducere, & Ecclesiam per nonnulla sæcula orbe vniuerso exterminare. Hoccine est inter problematum fluctus agitari, an potius stricte constanterque definire?

Decimo, Alias. Regis detrudendi causas non cognoscit, præter hæresin, apostasiam, infidelitatem; veruntamen penes Papam esse Reges apostaticos, aut hæreticos deponere, probat exemplis eorum, qui a Papa, non ob hæresin, sed propter causas matrimoniales, prætentiones ciuiles, aut ingenij tarditatem regnis suis sunt deturbati.

Vndecimo, Paßim loca ex Scripturis sacris, Patribus, modernisq; historiis deprompta fide adeo malâ, parumq; ad propositam facientia allegat, (quod infra demonstrabitur) vt a sagacis ingenij viro (qualem illum nouimus) seriò, & ex animi sensu sic adduci poße non sit credibile.

Duodecimo, Cum tot vndiq; rationes, ac testimonia corraserit, vt Papæ gratificaretur, nonnullæ interea illi voces excidunt stomachum bilemq; Sancto Patri commoturæ. Inprimis quod eundem Concilio Generali subijcere, eiusq; iudicium populi Gallicani calculo submittere non vereatur; quod

ſuo patebit loco. Item quod in medium adductis Pontificum ac Synodorum hac de controuerſia decretis, ipſe tamen apud auditores ſuos hanc ſe quæſtionem, more tantùm problematico vltro citroque ventilare, nec quicquam certi dogmatis ſtatuere profiteatur. Quaſi verò poſt Papales Synodicaſque dubiorum explicationes, Cardinalem non deceat ſine hæſitatione intrepidéque pronunciare: aut cuiquam non ſit turpe de ijs, quæ ſanguinis proprij diſpendio ſe obſignaturũ pollicetur, timidè cunctáterq; affirmare. His ſi accedat quàm prorſus aduerſa huic, quam nunc tuetur, ſemper antehac fuerit Do^ni Cardinalis ſententia, non erit profectò obſcurum, hæc ab eo, refragante conſcientia, eſſe conſuta, & recitata.

Iſthæc ſingula fuſius patebunt ex ſequenti, quam Deo iuuante, ſum attexturus, Orationis iſtius in Regum opprobrium, Regnorumq; exitium conſarcinatæ diſcuſsione. Non quòd mihi ex inito cum Cardinale congreſſu quicquam gloriolæ poſsit accedere; ſat nempè gnaro, quàm longè huiuſmodi conflictatio infra Regiam ſubſidat amplitudinem, quam in ſublime vſque ad Diuini nominis participationem ſacra euexit pagina; cum Cardinalitius interim ſplendor merum ſit, præterea nihil, in ventum

tum humanum, idemque recens excogitatum, quod à nobis est alibi comprobatum. Verùm ad hanc disceptationem vt descenderē, iustæ me, grauesque causæ permouerunt. Imprimis Regum, quorum in hoc salus vertitur, omnium causa communis; deinde quod Do^mi. Cardinalis hac in oratione non vnius priuatam, sed plurimorum publicam personam gerat, Cleri scilicet, Nobilitatisq; Gallicanæ; quorum vtrinque suffragatione, ac supercilio fretus, in Ordinem popularem stylo liberiore inuolauerat. Prætereà, vt ne meipsum prorsus videar neglexisse, quem, non sine insigni iniuria, habet pro dißidiorum seminatore, ac persequutore, sub quo scilicet, ægrè respiret Ecclesia, quiq; Catholicos omni suppliciorum genere non cessem onerare: Nec non illum plebeii Ordinis, de quo diximus, articulū appellat suauis homo monstrum pisceforme, ex Anglia nostra in Franciā natatu transuectum. Deniq; cum is sit hodiernus illius Regni status deploratißimus, vt natiuis subditis instar piaculi habeatur, si quid pro Rege suo mutire audeant, ad vicinos ex ipso neceßitudinis vinculo attinet linguæ laboranti succurrere, veritatemque domi compressam, inter-mortuam, ac vi prope sepultam foras euocare, cælo liberiore longè latéque clamaturam.

In Præfatione ad Apologiam meam.

Leui-

Leuicula multa, quibus Cardinalis libellum conspersit suum, mihi non est animus attingere. Quo in genere sunt, quæ inseruit de Pericle, Agesilao, Aristotele, Minoe, de Druidibus, de Matronis Gallicanis, de Hannibale, de Pindaro: quæque de Poetarũ fabulis delibauit. Quibus dum eius nitere, ac rutilare videtur oratio, non secus ac seges flauis, purpureis, cæruleisq; herbarum inutilium flosculis variegata, longe plus detrimenti contrahit, quam ornamenti: indigna cum illustri illo concessu, tum negotij pariter, ac loquentis grauitate: quem non a Pericle, sed sanctissimo potius Dei nomine dictionem auspicari, nec Prophetæ Regis vocem sacram Ethnici Oratoris exemplo proximè subtexere decuisset.

His annumerandum, quòd veterum Romanorum victorias inter Dei dona, benedictionesque temporales recenseat, illi scilicet genti indultas in remunerationem eius, quo in Idolorum cultum ferebantur, feruoris: Quasi Deus flagitiis, etiam cum naturæ lumine pugnantibus, præmia soleat rependere, aut diuina dici poßit benedictio, violenta in res alienas, etiam per cædem, ac sanguinem inuasio.

Nec dignum est, in quod noster stringatur Pag.8.

stylus, quòd exemplo supplicij æterni ex censurâ Ecclesiasticâ post mortem infligendi Virgines illas Milesias proponit, quarum exanima corpora veste omni nudata per plateas olim tracta memoriæ traditum est.

Haud absimilis est, quam fabricatur, descriptio Problematis, cum dicat se Problematicum id appellare, quod ad rem fidei necessariò non facit, cuius item contradictorium si credatur, in excommunicationis, anathematisque reatum assertores minimè præcipitat. Cum tamen Aristoteles (è cuius officinâ vniuersa, quâ scholæ Academiæque vtuntur, notionum suppellex desumpta est) apertè doceat, quamlibet propositionem sub dubitationis formulâ procusam Problema appellari, etiam cum subiecta materia necessariam cōplectatur veritatem: verbi gratia. Cum interrogetur, Vtrum Deus sit vnus, aut, Vtrum homo sit animal rationale. Vnde constat, propositiones problematicè contextas, non amittere necessariâ naturæ suæ veritatem, ac exinde sæpissimè accidere posse, vt qui eius contradictorium tuentur, eo ipso diris omnibus deuoueantur. Eiusdem farinæ plurima supersunt, quibus vt me penitius in causæ ipsius medullis desigam, censeo supersedendum.

Arist. 1. Top. cap. 4. ais idem sonare πρότασιν & πρόβλημα. Ἀπὸ πάσης γὰρ προτάσεως πρόβλημα ποιήσομεν, si præfigatur πότερον vtrum, velut vtrum homo sit animal.

DECLA-



DECLARATIO PRO IVRE REGIO &c.

HAud quidem immeritò Dominus Cardinalis Perronius in ipso orationis suę vestibulo professus est, Regi longè deuinctiores habendos Ecclesiasticos, quàm Nobiles, aut Ordinem plebeium, eo potissimùm nomine, quod cùm hi eam, quam obtinent, conditionem, titulo, quod aiunt, oneroso, non tributi modo, sed & sudoris sanguinisq; pretio sustineant; illi interim ex merâ Regis gratiâ, extra periculi iactum, citra onera impensarum, dignitatibus suis opibusque suauiter perfruantur. Veruntamen haud inde sequitur, quod astruere conatur Do^us. Cardinalis, curam cruentas sicariorum manus a Regum latere depellendi vniuersam, a plebeijs in Ordinem sacrum esse traijciendam: ac genuina Regicidiorum remedia, non in supplicijs ciuilibus, sed internis conscientiarum vinculis, ac legibus, quæ circa ipsas animas proximè versantur, consistere. Neque enim vsu solet euenire, vt qui tenentur maxime, ij officio præstando

maximam afferant fidem ac diligentiam. Quinetiam ſi illud largiremur, Ordinem hunc Eccleſiaſticum nulla in ſollicitudinis parte ſaluti, honoriq; Regio tuendo antehac defuiſſe; nemini tamen obſcurum eſt, pœnis ſpiritualibus in foro Eccleſiaſtico denunciatis, non continuò vinciri vindicem politici Magiſtratus manum, aut ſupplicijs temporalibus inijci retinaculum; quibus plerumque validiùs quàm diuinæ vindictæ obiectu, hominum in ſcelera proiectorum refrænatur audacia.

Huic igitur Ordini omnes, quibus iuſtitiæ adminiſtrandæ poteſtas ac immunitatum Regalium commiſſa eſt defenſio, Franciæ officiarios repræſentanti haud certè vitio vertendum, quod Regem ſuum ſaluum velint, eiuſdemque dignitatem illibatam: præſertim cùm, ſe ſubtrahente Clero, ac in officio tam turpiter claudicante, hoc quicquid eſt ſollicitudinis eò impenſiùs in populum deuoluatur. Quid enim? Nunquid vlla iamdiù gentem illam afflixit etiamnum metuenda, ac præcauenda calamitas, quæ a Clero tanquam fonte non profluxerit? Bella nupera inteſtina, quorum furor non ſolum tot vrbes campoſque ſanguine Gallicano cruentauit, ſed & Regis Henrici Tertij necem peperit parricidialem, annō exorta ſunt a dicti Regis exauthoratione, per Cleri caput effulminatâ? Prælati cæterique, quos Curatos ac Confeſſores vocant, annon per ſecretas partim confeſſiones, partim per ſeditioſas ad populum conciones huic flammæ oleum inſtillârunt? Sicarius ipſe, cuius manu Rex ille confoſſus cecidit, numnon Clerici virique religioſi priuilegio gaudebat? Guiniardus numnon lectiſſimæ ſcilicet Ieſu ſocietati nomen dederat? Iohannes Caſtellus annon

non ex eadem ſentinâ prodierat? ſtabulum confidentiæ ac nequitiæ *Rauillaccus*, cum interrogaretur quo authore cæptum illud infandum patrauerat, annon ad proximas Quadrageſimales conciones ſacras remiſit quæſitorem, feraces nempe huiuſmodi conſiliorum officinas? Bellarminus, Eudęmono-Iohannes, Soarius, Becanus, Mariana, & quotquot ſol vidit huius generis monſtra, qui Regicidij ſcholam aperiunt, qui in publicis tribunalibus, priuatiſque confeſſionibus æquiuocationi theatrum figunt, annon Clerici ſunt, etiam primarij? Eorum libri hanc peſtem redolentes, annon a ſpiſſo Doctorum globo ſunt approbati, ac eorundem ſubſcriptione communiti? Domum vt reflectam oculos, pulueraria coniurationis principes ac capita, numnon itidem fuerunt viri Eccleſiaſtici? Non nemo certè, qui ſe illis capitibus manum præbuit, illi incendio facem, (cui cognomen Fauſio) quod parauerat, incæptum defendere non erubuit, ac ſuam ſibi conſcientiam ducem teſtemque aduocans, apertè profeſſus eſt, nihil extra iuſti boniq; metas a ſe tunc eſſe tentatum, vtpote ea de re, priuſquam ad nos e Belgio remigrârat, probè per viros doctos, abundéque inſtructo. His accedat, quod hanc iſti omnes imbiberint ſententiam, e Clericis neminem pro Regis ſubdito habendum. Neque vero diffitetur ipſe Dominus Cardinalis, eos qui Regio cruore ſe impiârunt, falſo Religionis prętextu captos, horrenda hæc parricidia animo manuque admiſiſſe. Patrârunt ergo ſic ab ijs edocti, qui religionis pręcepta ſolent ſuggerere, hoc eſt Eccleſiaſticis. Quę cum ita ſint, tametſi Cleri Gallicani pars non contemnenda beneuolo forte ſit fidoque erga Regem ſuum animo, in quorum Pag. 7.

 pecto-

pectoribus Clericalis, qui dicitur, character innata fidelitatis lineaméta haud prorſus obliterauerit, verè mihi videor ſtatuere, (propterea quod a ſacro hoc Ordine grauiùs quàm quoquam alio, ac maiori cum periculo peccetur) iuſtas rationes non defuiſſe plebeio Ordini, cur Regiæ ſalutis amplitudiniſque tutandę, negotium in ſolum Clerum non tranſmitteret. Nec vero illud reticendum, quòd, cum in re omni controuerſa teneatur Clerus iudicium Papæ expectare (qui hac in cauſa pars eſt, &, quod caput litis eſt, a ſe regna omnia pendere affirmat) non potuit certè plebeius Ordo ſperare, Pontificem contra animi ſui ſententiam ſæpius publicatam, hac in quęſtione pronunciaturum, adeoque ſeipſum condemnaturum.

Quod ſi, quę ab hoc Ordine oblata ſunt, remedia finem debitum non ſint aſſequuta, hoc inde euenit, non quòd parum iuſta fuerint, aut legitima, ſed quia, quas debuit, ac potuit, auxilij partes non contulerit Clerus, ac propterea quòd, quorum libri popularem defectionem, Regum depulſionem, lanienamque ſpirantes publicè ſunt combuſti, ipſis authoribus nihilominus faueatur; cumq; vnus, aut alter patibulo luat manu pręceps parricida, non pauci interea, qui execranda hæc perfidiæ immanitatiſque præcepta diſſeminant, impunitate ſumma perfruantur.

Ex his, quæ dicta ſunt, ſatis conſtare arbitror, Dom. Cardinalis malè fundatam eſſe hortationem, quâ huic Ordini ſuadere conatus eſt, vt omnem hoc in negotio Pag. 9. curam à ſe ad Clerum amandaret. Quam etiam ratione adhuc infirmiore munire ſatagit, dum certis, & extra dubitationem poſitis, rem controuerſam & contentioni obuiam

uiam negat intermiſcendam. Hæc apud eum indubitata duo ſunt. Primum, quòd nulla vnquam ex cauſa liceat Reges immiſſo ſicario de medio tollere. Hoc exemplo Saulis confirmat, quem, vt vt Throno deiectum, noluit tamen Dauid, cùm facilè poterat, trucidare. Dein Concilij Conſtantienſis decreto innititur, in Regum obtruncatores ſancito. Alterum quod Francorum Reges ſint, intra ſuas ditiones ſupremi, omni ſuprematus tẽporalis genere, quodque nemini vel Principi, vel Papæ feudi cuiuſquam nomine ſubijciantur, quaſi recepta Coronâ ſuâ, aut ad conditionem huiuſmodi vllam præſtandam obligatâ. Quod tamen aſſerit conſtare certitudine tantum humanâ ac hiſtoricâ. Tertium autem quiddam reſtare ait contentionis diſceptationiſque fluctibus agitabile, quod certis exploratiſque immiſceri nefas, ne pauculis ambiguitatum quaſi paleis adiectis, totus inconcuſſarum propoſitionum aceruus corrumpatur. Controuerſum hoc eſt huiuſmodi, Vtrum ſi Rex Chriſtianus, violato, quo ſe in fide Catholica & vita & morte perfuncturum ſolenniter Deo vouerat, iuramento, Arianam aut Mahumetanam impietatem amplectatur, declarari poſſit eum regno excidiſſe: deinde ad quem pertineat ſubditos a ſuſcepto fidelitatis ſacramento hoc in caſu liberatos pronunciare. Quod ad Eccleſię vocem attinet, affirmat Do^{us.} Cardinalis, cum reliquas omnes Eccleſię Catholicę partes, tum ipſam Gallicanam, ex quo ſcholas Theologicas aperuit, vſque ad Caluini tempora ſemper tenuiſſe, Regem huiuſmodi poſſe per Papam & per Concilium regno deponi: Adeo vt ſi contrarium eſſet in ſe vero verius, non aliàs in fide, quàm problematicè

Concil. Conſtan. Seſſ. 15.

Pag. 10.

possit defendi. Hęc Cardinalitię dissertationis summa: Cuius refutationem, quandoquidem ipsi eadem sępiùs recoquere visum est, necesse habeo in alium, vbi ab eo hęc fusiùs pertractantur, locum diffindere. Ibi inter alia hęc in lucem proferemus, approbari a Domino Cardinale Regum abdicatorum interemptionem. Saulem nunquã Regno viuum fuisse exutum: Concilium Constantiense nihil hoc in negotio statuisse, vtpote de supremis absolutisque Principibus minime locutum. A Domino Cardinale Regem Francorum non haberi pro supremo intra ditiones suas, cum possit ei per potestatem quandam superiorem, dominium abrogari. Ecclesiam Gallicanam semper docuisse, accuratéque defendisse Reges suos non esse per Papam, vt loquuntur, *deponibiles*. Papę denique nullum esse, quod obtendat, ius Regem vllum reddendi sibi feudatarium, aut ad obsequium sibi coronæ Regiæ nomine præstandum obligandi.

Tertio itaque membro totus inhæret, quod contentiosum nominat, affirmatque si quis eos, qui Papæ Reges deponendi potestatem tribuunt, damnare ac anathemate ferire audeat, hunc non semel titubare, sed in quatuor quæ sequuntur absurda, seu incommoda præcipitem ruere.

1 » *Primum est quod hoc esset conscientijs vim inferre, laqueumque inijcere, sub anathematis pœna obligandis ad fidem iuramen-*
Pag. 14.
» *tumque illi doctrinæ præstandum, cuius contrariam vniuersa &*
» *iamdudum tenuit, & adhuc tuetur Ecclesia Catholica.*

2 » *Secundum est, quòd laicis de fide iudicium ferendi libertatem*
» *largiri, esset omnem Ecclesiæ susdeque vertere authoritatem, &*
» *nulli non hæresi fenestram aperire; imo ipsum Sacerdotium inuadere,*

dere, ac manu profanâ Arcam attingere, thuribulumque rapere. »

Tertium incommodum est via ad schisma ineuitabile apertè » 3
strata. Reliquis enim vniuersis hanc doctrinam tuentibus Ca- »
tholicis, a nobis, inquit, non potest vt verbo Dei repugnans, vt »
impia detestabilisque reijci, quin simul omni cum capite reliquis- »
que Ecclesiæ membris communioni abrenunciemus; adeoque Ec- »
clesiam fateamur pluribus abhinc sæculis in Synagogam Satanæ, »
Sponsamque Diaboli degenerasse. »

Vltimum est, quòd hanc, quæ Reges ponit independentes, pror- » 4
susque inuiolabiles, sententiam stabilire, esset non modo remedi- »
um pro Regum salute iam excogitatum reddere irritum, iis quæ »
rata sunt & vtrinque concessa, rei controuersæ admistione infir- »
matis; verum etiam, noui præsidii loco, quod Regum vitæ ma- »
iestatique quæsitum videtur, vtramque periculis longè grauio- »
ribus obiicere, bellis nempe, aliisque quibus schismata semper »
viam aperiunt, calamitatibus. »

His quatuor capitibus firmandis Cardinalitia hæc insumitur oratio, quæ singula eo, quo surgunt ordine, excutere nobis animus est, ac demonstrare, posita hæc incommoda falsis inniti postulatis, ac nil aliud esse, quam affabrè conficta pauidorum ingeniorum terriculamenta. Verum priusquam rem ad viuum resecare pergam, mihi monendus est lector, quæstionis nostræ quasi faciem laruâ obductâ, ab illo esse immutatam, dum, refragante non modo veritate, sed Paparum etiam mente, ac voce, Papalem in Regibus deijciendis authoritatem coarctat, ac ad hæresin, apostasiam, Ecclesiæq; persecutionem reuocat. Quod si Pontifices ipsos consulamus, virgulam suam censoriam longè porrectiorem esse respondebunt, eamq; ab asseclis suis ægrè ferent decurtari. Ab illis nempe Re-

ges

ges exauthorati ſunt ob imminuta Monaſteriorum priuilegia. Id docet Papa Gregorius Primus, in illo quod Sancti Medardi Cœnobio Sueſſionenſi arrogatur, priuilegio: cuius diploma Epiſtolis Gregorianis ad calcem attexitur, ac in eiuſdem ad Senatorem Epiſtolâ occurrit. Exauthorati ſunt ob ingenitam indolis tarditatem, regnique adminiſtrandi ſeu veram, ſeu prætenſam impotentiam. Quo nomine gloriatur Gregorius VII. à Papa Zacharia Childericum Regno Franciæ olim exutum. ***Non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ poteſtati erat inutilis.*** Exauthorati ſunt propter Eccleſiaſticorum Beneficiorum (quæ vocant) Præbendarumque collationem: Quo in genere notiſſimæ ſunt, quæ inter Papam Innocentium Tertium, & Iohannem Angliæ, inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Galliæ Reges incaluerunt, contentiones. Exauthorati ſunt litis Matrimonialis, coniugijque adulterini prætextu. Cui rei exemplo ſit Philippus ille Primus, qui, vxore ſua Berthâ repudiatâ, eius loco Bertradem duxit Comitis Andegauenſis coniugem. Denique illud ſcire impenſè deſidero, quam hæreſin, quam à fide generalem defectionem luerunt Henricus IV. Fredericus Barbaroſſa, & Fredericus II. Imperatores, quibus fulmine Pontificio ſacrum diadema capite excuſſum? Num quæſo ob hæreſin, an apoſtaſiam adeo in Petrum Arragoniæ Regem duriter ſtatuit Papa Martinus IV. vt ſubditos fidelitatis ſacramento eidem Regi præſtito exolueret? Quid hæreſeos, apoſtaſiæ, Arianiſmi, aut Mahumetiſmi in cauſa fuerat, cur Iulius Secundus Regem lectiſſimum, meritoq; habitum PATRIÆ PATREM Ludouicum XII.

Lib. 10. epiſt. 11.

Cauſ. 15. Can. Alius. Qu. 6.

Paul. Aemil. in Phil. 3.

ſceptro

ſceptro priuaret Gallicano? Num tandem hæreſin aut apoſtaſiam obtendit Sixtus V. Henrico III. deponendo? Cuius fulminis diſploſionem ſubſequutum eſt fœdum optimi Regis parricidium, & triſtiſſima Regni illius pulcherrimi deuaſtatio. Verùm ſe Do^us Cardinalis in arctiorem gyrum compingere non grauatus eſt, vt cauſam Regum deponendorum ſpecioſiſſimam deligeret auditoribus obtrudendam, in hiſtoria ſcil. (ita ſibi adblanditus eſt) parùm verſatis, ſtatumque eius, quę præ manibus erat, quæſtionis, minimè intelligentibus. Illum igitur oportuit diploma aliquod bullatum a Do^no Papa impetraſſe, palàm coram populo recitandum, quo ſe profiteretur Sanctus Pater in poſterum omni, præter hæreſin, Regum gradu deijciendorum cauſæ abrenunciare, huic tantum lolio auerruncando falcem ſuam Regum ceruicibus immiſſurum: ac eâdem operâ ſponderet ſe ſibi non arrogaturum, vt de Rege ſententiam ferat, vtrum necne ſit hæreticus; hoc enim eſſet, ſimul actoris ac Iudicis partes ſuſtinere, ſummamque porrigeret licentiam ſanis dogmatibus nigrum hæreſeos theta inurendi: quâ arreptâ anſâ, regno alieno pro libidine dominetur, nouo fretus ſucceſſore, a ſe immiſſo, ac ſibi patrono, de cuius nutu regnum dono acceperat, omnia gratificante. Ita Bonifacius VIII. per literas ſuas ſuperbiæ ſtomachique plenas, pro hæreticis habet omnes, quotquot aſſerere auderent Regij iuris eſſe Præbendarum collationes: quem quidem Papalem errorem, *non facti ſed iuris* eſſe manifeſtè conſtat. Non abſimile ſcil. crimen erat, quod a Pontificibus in Imperatorem illum infœlicem Henricum IV. intendebatur. Quod eo prorupit acerbitatis,

vt Paparum instigatione ac iussu, non modo contra Patrem filius arma sumpserit impia, sed & mortui Imperatoris corpus honestiori sepulturâ prohibitum iacuerit. Hic tamen sacer, hic inferis deuotus, hic viuus, mortuusque intestabilis, nullum fidei articulum, aut placitum Theologicum in dubium vnquàm vocasse legitur. Iohannes Auentinus Vergilium Episcopum Iuuanensem narrat Zacharię Papę iussu pulsum sacerdotio, ac hęreseos insimulatum, quòd *circumfundi terræ homines, & aduersis inter se pedibus stare docuerat*. In Bulla (cui initium Exurge) Concilio Lateranensi subnexâ, Lutheri scil. hęresibus hęc annumeratur Thesis, *Optima pænitentia noua vita*: Inter crimina Papę Iohanni XXIII. per Concilium Constantiense obiecta, habetur eundem immortalitatem animorum abnegasse, idque *constare publicè, apertè, ac notoriè*. Si quis igitur Papa his, aut similibus laborans erroribus, Regem fortè contra sentientem Regno detrudendum iudicauerit, mihi certè haud prorsus Sceptico, nunquam citra omnem scrupulum constabit huiusmodi Regem iure, atq; ordine regno multatum.

Annal. Boiorum lib. 3.

Concil. Constan. Sess. 11.

Primi Incommodi Examinatio.

PRimum, quòd male metuit D^{us} Cardinalis, Incommodum ex approbatione illius Articuli orіturum, qui Francię Reges nulli superiori potestati, seu temporali, seu spirituali subdit deponendos; est, *quod hominum conscientias adigat ad doctrinam quandam ab Ecclesia per annorum centurias vndecim creditam, factoque comprobatam, diris omnibus deuouendam*. Quibus verbis cum

obiter

obiter fateatur huiuſmodi dogma, primis quinque ſęculis ab Eccleſia, nec fide, nec praxi eſſe poſteris commendatum; mihi certè videtur illud ipſum ſciens volenſque damnaſſe. Etenim Eccleſię in Imperatores Regeſque quid ſit iuris, haud minus primęuę antiquitati, ab Apoſtolicis temporibus annos vſque quingentos porrectę cognitum eſt, ac exploratum, quàm, quibus accreuit ſuperbia, & imminuta eſt puritas, ſęculis ſubſequutis: Pręſertim, cum per totum ſęculorum quinque primorum ſpatium, iuratis apertiſque hoſtibus vix vnquam caruerit Eccleſia, ſub Imperatoribus primò Ethnicis, ſub Regibus dein hęreticis afflictata, quales fuerant Viſigothorum in Hiſpaniâ, Vandalorum in Africâ Reges; quos non erat quod irritare metueret Romanus Epiſcopus, vtpote & ab eorum imperio immunis, & Regionum interuallo ſecurus.

Verum enimuerò cum D° Cardinale in arena ſuâ, hoc eſt, recentiorum temporum hiſtoriâ confligamus, ac numquid inde pręſidij poſſit emendicare diſquiramus: Hoc ſemper pręmiſſo, huiuſce quęſtionis ambitu non contineri, vel populares ſeditiones, vel inteſtinas rerum pub. concuſſiones è partium ſtudijs factionibuſque emergentes; vel denique increpationes Eccleſiaſticas, adeoque veri nominis excommunicationes; ſed ſententiam tantùm iuridicam depoſitionis à Papa, vt poteſtate ſua ordinaria legitimaque freto, in ſupremi abſoluteque liberi Principis caput vibratam.

Argumentationis igitur ſuæ telam ab Imperatore Anaſtaſio orditur, quem ſcil. quod Symbolo Chalcedonenſi ſuum approbationis calculum adijcere recuſaſſet, *Exemplum 1. pag. 18. Euagr. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 32.*

noluit Euphemius Patriarcha Constantinopolitanus pro Imperatore agnoscere (hoc est consentire, vt sacris Imperialibus initiaretur) etiam ipsa Augustâ, Senatuque, vt Euphemium ab incœpto retraherent, minas ac vim intentantibus. Eundem etiam Anastasium iureiurando spreto in hæresin relapsum, & persequutionis flagello sequientem, Symmachus Romę Episcopus palàm damnauit atque excommunicauit: Quibus subiungitur, eundem Imperatorem publicis sacrarum precum formulis, venenum hæresis suæ subinspergere conantem, factâ statim populi Constantinopolitani in Imperatorem coitione, à Satellite quodam suo vi armisque coactum, vt Episcopos quosdam à se priùs in exilium actos, reuocaret.

Isthoc verò quicquid est exempli (bonâ cum veniâ audiat D^us. Cardinalis) pręsenti controuersiæ nec propinquo, nec remoto gradu est affinis. Euphemius haudquaquã Romanus erat Pontifex, nec Imperatorẽ throno deposuit, sed tantùm in eius electionem consentire recusauit. Tumultus popularis, vel Græculi Centurionis rebellio, quid quęso iuris potestatisque conferunt in Papam Romanum, ad Reges virgulâ Pastorali deturbandos? Imperatoris hęc Græci per Episcopum Romanum excommunicatio, si modo vlla (neque enim alium D^us Cardinalis quàm Papam ipsum testem adhibet, cùm interim non sit obscurum Epistolas suppositititias, non paucas, aliaque scripta male-nata, Paparum antiquorum nominibus sese induisse) si quæ, inquam, fuerit, ciuilis tamen depriuationis, depositionisque nec flammam, nec fumum redolebat.

Addo insuper; Si quando Episcoporum quispiam in

quenquam

quenquam extra iurisdictionis suæ cancellos positum, excommunicationem denunciauerit, eo ipso non ab Vniuersalis Ecclesiæ communione exclusit, sed tantum denunciauit nolle se cum illo, quem damnat, communione coniungi.

Testes appello Concilij Carthaginensis Canones: Quorum vnus sic habet; * Episcopus qui Synodis se præsentem exhibere detrectat, ad aliarum Ecclesiarum communionem ne recipitor, *sed suâ tantùm Ecclesiâ fruitor*. * Alter Canon de Episcopo Monasterij sui gubernationem in Monachum alterius claustri alumnum transferente statuit, vt talis *à reliquarum Ecclesiarum Communione seiunctus, sui tantum gregis communione viuat contentus.* Hoc sensu scilicet, S. Hillarius Pictauiensis Episcopus, Liberium Episcopum Romanum, quod Arianæ confessioni subscripsisset, excommunicauit. Hoc sensu Ioannes Episcopus Antiochenus, Cælestinum Romæ, Cyrillum Alexandriæ, Episcopos, quod Nestorium indictâ caussâ damnassent. Hoc sensu denique Romæ Episcopus Victor, Orientales omnes Episcopos, non suorum gregum propriâ, sed mutuâ Romanæ Ecclesiæ communione interdixit. Nihil igitur hìc simile illis Excommunicationum Papalium fulminibus, quæ posteriorum sæculorum Cyclopes extuderunt, ac in Regum capita De Capitolio Romano disploserunt.

* *Nomo Canonis Africani can. 77* ὀφείλειν τὸν τοιοῦτον τῇ κοινωνίᾳ τῆς ἰδίας αὐτῶν ἀρκεῖσθαι ἐκκλησίας.

* *Canon. 81. eiusdem Nomo Canonis* ἀπὸ τῆς λοιπῶν κοινωνίας χωριζόμενος τῇ τοῦ ἰδίου λαοῦ κοινωνίᾳ ἀρκείσθω μόνῃ.

Faber in fragmentis Hilarij, Anathema tibi à me Liberi.

Exemplum 2.

Vnde etiam opportuna porrigitur responsio ad illud Clotharij Francorum olim Regis exemplum allegatum: qui Agapeti Papæ censuris perterrefactus, pagum Iuetotanum splendidis Regni titulis decorauit, vt ita saltem homicidio in eius loci D^{um} Gualterum pa-

trato ſatisfieret: Cuius tamen narratiunculæ locupletiorẽ non adducit teſtem Do^us. Cardinalis, quàm conſcriptas nongentos pòſt annos hiſtoriolas; cùm contrà, mihi haud foret difficile probare, eius ſæculi Papas Regum Franciæ negotiis, ſe nulla ex parte ingeſſiſſe. Qui ea vidit tempora, Gregorius Turonenſis multa recenſet, in Epiſcopos à Regibus, per vim iniuriamque admiſſa; præſertim in Prętextatum Epiſcopum Rothomagenſem: Quibus tamen ſubleuandis, ſe non interpoſuit Romanus Epiſcopus, nec bullas monendi, minandique peritas, eſt eiaculatus. Ecce verò Gregorij ipſius ad Regem Chilpericum voces, *Si quis de nobis, O Rex, iuſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt. Si verò tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis; ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronunciat eſſe iuſtitiam?* Hęc tamen haud impedierunt quo minùs Rothomagenſis ille Antiſtes grauiſſimè cæſus, in Inſulam Sarniam exul relegaretur. Verùm antiqua Dominorum Iuetotenſium iura, non lubet accuratiùs perquirere; quæ virtutum monimenta, ac optimorum illius familię erga Francię Reges meritorum inſignia, potiùs mihi videntur, quàm piacularis, neſcio quæ, ad peccatum eluendum, ſatisfactio. Quod ſi hanc authore non vano niti hiſtoriam largiamur, quid tandem facit ad rem noſtram, vbi de Regis, non excommunicandi, ſed deponendi poteſtate agitur? Similiter ſi ingruentis excommunicationis metu, Rex hic illa indulſerit priuilegia, quid hoc ad probandum, penes Papam fuiſſe eundem Maieſtate ſceptroque ſpoliare? Denique, hoc ipſum quod narratur, proculdubio Francię diadema in ſublime

Guernſay.

me euehit, eiusdemque Regem tantum abest, vt deprimat, vt verè Regum Regem statuat, vtpote Nobiles suos Satrapasq; Regijs titulis ornantem: Non secùs ac Hispaniȩ Regi non leue est argumentum, quantâ ipse polleat amplitudine, quòd è subditis suis quosdam *Magnates* creet, siue *Megistanas*. Los Grandes.

Sequitur Gregorius I. qui (libri Epistolarum 11. epistola 10.) Xenodochij Augustodunensis confirmaturus priuilegia Regibus ac Prȩsulibus, ne eadem vlla ex parte imminutum eant, sub hac forma interminatur. *Siquis Regum, Sacerdotum, Iudicum, ac personarum secularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat*, &c. Verùm hic parùm videt oculis Do^us. Cardinalis, dum imprecationem pro Decreto habet iudicatorio. Poterat è plebeculâ quispiam eodem stylo vti, ac dicere, si quis sacrosanctam Regum nostrorum Maiestatem, vitamve violauerit, fuerit Imperator, fuerit Papa, maledictus esto, authoritate excidat, dignitate spolietur, vitamque traducat mendicitate, morbis, miseriis circumseptam. Illud etiam vt sicco pede prȩteream, Monachis quam facilè ac procliue sit ad priuilegia sua tuenda, immanes Concessiones, ac rescripta, pro libitu confingere. Ex hac argilla ollam fictilem videre est apud eundem Gregorium (sub finem Epistolarum) priuilegium scilicet Cœnobio S. Medardi Suessionensi concessum, simili etiam clausula munitum. Quod quàm vanum sit ac suppositium, ex ipsa constat temporis ad calcem subsignatione, quȩ nempe Incarnationis Dominicȩ an. ponit 593. Indictionem 11. Cum potiùs an. Domini 593. respōdere videatur

Exemplum 3. Pag. 22.

Indi-

Indictio 10. nec soleat quidem hic Gregorius vllâ anni Dominici notulâ Epistolas suas claudere. Prętereà sonorum hoc Priuilegium sua etiam subscriptione communierunt, Alexandrinus & Carthaginensis Episcopi, quos ego crediderim illius nec Cænobij, nec vrbis nomē vnquam fando audijsse. Nec illud etiam à suspicione abest, quod horum nomina, quasi in exercitu tumultuario medię Italicorum Episcoporum subsignantium cohorti, intermiscentur. Denique qui apud eundem Gregorium legerit, quàm submissè humiliterque Imperatores per Epistolas affatur, haud facilè credet, eum regna donandi auferendique ius vnquam sibi arrogasse. Se appellat *Indignum Imperatoris famulum*, *se Domino suo loquentem agnoscit nihil esse aliud, quam puluerem & vermem*: Profitetur se *Imperatoriæ iußioni subiectum*, *Cæsaris legem quandam publicasse, Omnipotenti Deo minimè concordantem*. Quæ nos alibi vberiùs persequuti sumus.

Ipsi Baronio Annal. 9. Cardinali malè sapit hæc subscriptio.

Epist. 61. lib. 2.

His subiungit Do[us] Cardinalis Iustinianum II. qui Sergio Pontifici Romano, quòd Synodo Constantinopolitanę parùm scilicet sanę, fauere nollet, manum inijcere conatus est, immisso eum in finem Zachariâ, equitum magistro: Hunc tamen Militia Romana (hoc est Imperij cohortes Italicę) etiam contumeliis oneratum repulerunt. Verùm meę, spero, tarditati ignoscet, si non intelligam, quid hoc sibi velit exempli, in quo de Imperij abdicatione, aut sententia Papali ne verbum quidem. Ecce ad annum à Christo nato 712. deuecti sumus, ex quo temporum circuitu, nihil excutere potuit Do[us] Cardinalis, quod vel specie tenus in rem suam faceret. Illud enim quod posteà affert de Imperatore Philippico

Exemplum 4.

co in annum 713. inciderat. Historia sic se habet. Philippicus ille Bardanes Imagines & coli vetuit, & confringendas curauit. Circa ea tempora Imperium Romanum inclinârat, & in Occidente debilitatum, & in Oriente Saracenorum incursionibus valde conquassatum. Ipse Imperator bello implicatus intestino, Italia maximam partem, Lumbardis cesserat in manus: quod reliquum, Rauennę Exarchatus, Ducatusque Romę sub Imperatore impari, ac imbelli vacillare, ac propè ad deditionem spectare. Papa Constantinus hanc potentiæ suæ augendæ, ac iugi Imperialis excutiendi opportunitatem nactus, Imaginum se patronum, vindicemque profitetur; Imperatorem contra sentientem, concilio conuocato, hęreticum pronunciat: in vrbe Romana ne quid literarum ab Imperatore conscriptarum reciperetur, ne nummi currerent eiusdem inscriptione signati, ne eius statua pro templis more maiorum figeretur, sedulò interdicit. Gliscente demum hoc tumultu, cuius flabellum Papa, Exarchus Rauennas cæco Marte cecidit. En hic seditionem à subdito concitatam, vt Dno Imperatori vrbem è manibus extorqueat, ac in suam redigat potestatem; sententiam autem solennis ab Imperiali dignitate deiectionis, planè nullam. Neque verò eum Papa, quem animo destinârat, exitum hoc pacto est assequutus. Etenim ciues Romani, vtcunque ad res nouas instigati, in sua tamen erga Imperatorem fide, officioque perstiterunt. *Exemp. 5.*

Post annos inde circiter duodecim, Leone Isauro (quem Iconoclasten appellat Dus Perronius) Imperante, ac Imaginum *Exemp. 6.*

ginum cultores acriter infestante, Gregorius eius nominis II. proximi decessoris sui premens vestigia, cùm Imperatorem turbulentis temporibus distentum, Romamque animaduerteret tenui munitâ pręsidio, effecit protinùs, vt ipsa Vrbs, Imperij caput, contra Imperatorem rebellaret, ac sibi in potestatem dominatumque cederet. Mihi vero haud parùm videtur interesse, publicâne sententiâ latâ pronuncietur Imperator dignitate sua excidisse, an se vrbs aliqua à legitimi Domini fide subducat, eius hortatu, qui se eidem conatur induere: Si cùm Imperatori vrbem Rom. auferret Pontifex, eius dominium in alium quempiam transtulisset, hoc nos exemplum aliquo forte luderet colore: In alienas autem ditiones impetum facere, vt sibi rapiat, sibi vt possideat, ambitionis, hoc est in quouis raptore, in subdito etiam apertæ perduellionis. Enimuero quis censuram adhiberi dicet Ecclesiasticam; cum spiritualis (qui sic haberi vult) Pastor pœnæ infligendæ nomine rem alienam suis applicat vsibus, puta peccatori chlamydem eripit, aut marsupium sua manu exenterat. Nec illud obiter dissimulandum has Paparum technas, rapinasque tum caput exeruisse, cum, attritis Imperij opibus, citra periculum se Cęsari viderent posse opponere. Nihilominus hic de quo diximus, Imperator haud prorsus his acquieuit, sed vim vi repulit, eiusque tribunus vrbem Rom. intrauit: ac Gregorius III. qui huic II. successit proximus, eundem Imperatorem adhuc pro D^no^ agnoscit: quod testantur quarundam ipsius ad Bonifacium Epistolarum subscriptiones in hanc formam, Dat. 10. Calendas Decemb.

Imperante

Imperante D^no^ pijßimo Augusto Leone, a Deo coronato, magno Imperatore, anno decimo Imperij eius.

Pari fide exẽplum Zachariæ Papę, à D^no^ Cardinale allegatum, à quo Francos asserit Sacramento, quo Regi Chilperico obstringebantur, absolutos. Ei rei testes adducit Paulum Æmilium, ac Tillium, hesternos certè scriptores, cum illi sæculo propiores historici testentur Francos â Zachariâ, non permissionem, aut voti solutionem, sed tantum consilium exposcentes, hoc suâ sponte libereque perpetrasse. Ado Viennensis Episcopus in Chronicis suis, *Franci*, inquit, *per Consilium Legatorum, & Zachariæ Pontificis electum Pipinum Regem sibi constituunt.* Trithemius in Annalium compendio, *Childericus Francorum Rex regno suo, tanquam indignus, qui imperet, non sine Regni consensu, accedẽte etiam Papæ Zachariæ consilio, deiectus est.* Galfridus Viterbiensis Chronici sui parte 17. & Gaguinus in vita Pipini idem testantur. Quam illud verò facile, consilium Pipino porrigere, regni ad se deferendi, qui ab eodem occupando inhiberi vix, aut ne vix quidem potuerat, vtpote cui re iam ac potentiâ Principi, nudum tantummodo Regij fastigij nomen defuerat. His accedit, quòd eo sæculo gens illa rudior parumque literata, cum adhuc nec Academias, nec Scholas haberet Theologicas, exterorum consilia sibi conquirenda existimauit. Quod tamen hoc in negotio fecit, quòd deceret potiùs, quàm quod necessariũ videretur. Pontificem autem quod attinet Romanum, perquàm ei commodum, erat hoc pacto Pipinum sibi obligatum beneuolumque reddere, vtpote cuius subsidio opus habuit aduersus Longobardos Italiam infestantes, eo præsertim

Exemp. 7.

ſertim tempore, cum à proprio, ac naturali Domino Imperatore Conſtantinopolitano, iam imbecilli, & viribus impari, non eſſet, vt auxilium adeo promptum expectaret. Verùm, vt quod res eſt loquar, ſi ſe potiùs Dei timentem Zacharias ille pręſtitiſſet, quàm commodis ſuis inhiantem, ſubdito nunquam ſuaſiſſet, vt D^um ſuum Regemque tarditatis prætextu, ſolio ſubmoueret. Furioſos ſiue mente captos, leges ciuiles curatoribus tradunt fouendos, non raptoribus ſpoliandos; vitia quippe, non morbi ſupplicijs vindicantur. Quinetiam eius gentis more antiquiſſimo cautum eſt, vt Regiæ, ſi opus ſit, infirmitati, ſuccurrat deſignatus publica authoritate Prorex, quem Regentem appellant, cui incumbat ad tempus negotiorum publicorum procuratio. Exemplum habemus in Carolo VI. in phreneſin incidente, quem tamen ratione morbi regno adminiſtrando inhabilem reddentis, Papa gradu tituliſque Regijs non deiecit. Illud denique durum, & ab æquo ac bono abhorrens, vt patris debilitatem luant filij, nepoteſque: quod vniuerſæ Childerici huius ſtirpi videmus accidiſſe, quos hic prætextus regno hęreditario prorſus denudauit. Ecce vero promptam ſolidamque à D^no Cardinale allatam huic facto excuſationem. Childerici depoſitio rem ſcil. religionis, ſaltem, vt loquuntur, ex accidente attingebat: Propter Regis illius parùm prudentis imbecillitatem, patebat tunc temporis Francia Saracenorum incurſionibus, fidei hoſtium Chriſtianæ. Atqui hoc vt concedamus, perquirendus tamen è proximis Childerici hæredibus erat alius, fortè ingenio fælicior, ac ſceptro gerendo habilior. Haud quidem oportuit,

oportuit,vt incerti periculi metus certam accesseret iniuriam, ac Regis, à solio natiuo abdicationem. Pipino illi potius patris sui Caroli cognomento Martelli vestigiis erat insistendum, qui partem Francię bene magnam iam tum occupantibus Saracenis fortiter restitit, insignique victoriâ fregit; nec tamen cum summa solus Regni negotia administraret, sceptrum Regi extorsit, sed Palatio Pręfectus, se muneris sui cancellis circumscripsit. Quo magis ipsum oportuit filium intra eiusdem officij limites se continuisse, quòd,Saracenis Patris sui Caroli virtute nuper debellatis, non iam erat quod gentem prędę, fidemque Christianam periculo expositam causaretur.

Nostra vt intueamur, Regni Scotici hęrede legitimo Brussio apud Anglos in vinculis detento, Vallas ille Scotiæ gubernaculis admotus est, potestate adeo plena, vt ipsius edicta in hunc vsq; diem vim legis obtineant. Inter hos cum capitales intercederent inimicitię, noluit tamen ille vel odij stimulis,vel ambitionis turbine eo impelli, vt inimici absentis sceptro se vel armaret, vel ornaret, nec altioribus se titulis induere, quam Gubernatoris, ac Reipub. Administri. Eâ nempe disciplinâ non erat imbutus, quæ Ecclesię arrogat diademata imponendi,detrahendiq; potestatem. En igitur ex D^ni. Cardinalis placitis,quo in loco Regum positę sunt fortunę. Quoties placuerit, immittet D^nus. Papa medicos suos atque inspectores, qui Regis arterias tractent, pulsus metiantur, ac num ritè cor saliat, num sanum sit sinciput, accuratè iudicent; vbi quid debilitatis, aut intemperiei deprehensum, continuò exuatur diadema, sanius quęrat,

ſertim tempore, cum à proprio, ac naturali Domino Imperatore Conſtantinopolitano, iam imbecilli, & viribus impari, non eſſet, vt auxilium adeo promptum expectaret. Verùm, vt quod res eſt loquar, ſi ſe potiùs Dei timentem Zacharias ille pręſtitiſſet, quàm commodis ſuis inhiantem, ſubdito nunquam ſuaſiſſet, vt D[um] ſuum Regemque tarditatis prætextu, ſolio ſubmoueret. Furioſos ſiue mente captos, leges ciuiles curatoribus tradunt fouendos, non raptoribus ſpoliandos; vitia quippe, non morbi ſupplicijs vindicantur. Quinetiam eius gentis more antiquiſſimo cautum eſt, vt Regiæ, ſi opus ſit, infirmitati, ſuccurrat deſignatus publica authoritate Prorex, quem Regentem appellant, cui incumbat ad tempus negotiorum publicorum procuratio. Exemplum habemus in Carolo VI. in phreneſin incidente, quem tamen ratione morbi regno adminiſtrando inhabilem reddentis, Papa gradu tituliſque Regijs non deiecit. Illud denique durum, & ab æquo ac bono abhorrens, vt patris debilitatem luant filij, nepoteſque: quod vniuerſæ Childerici huius ſtirpi videmus accidiſſe, quos hic prætextus regno hęreditario prorſus denudauit. Ecce vero promptam ſolidamque à D[no] Cardinale allatam huic facto excuſationem. Childerici depoſitio rem ſcil. religionis, ſaltem, vt loquuntur, ex accidente attingebat: Propter Regis illius parùm prudentis imbecillitatem, patebat tunc temporis Francia Saracenorum incurſionibus, fidei hoſtium Chriſtianæ. Atqui hoc vt concedamus, perquirendus tamen è proximis Childerici hæredibus erat alius, fortè ingenio fælicior, ac ſceptro gerendo habilior. Haud quidem oportuit,

oportuit, vt incerti periculi metus certam accesseret iniuriam, ac Regis, à solio natiuo abdicationem. Pipino illi potius patris sui Caroli cognomento Martelli vestigiis erat insistendum, qui partem Franciȩ bene magnam iam tum occupantibus Saracenis fortiter restitit, insigniq́ue victoriâ fregit; nec tamen cum summa solus Regni negotia administraret, sceptrum Regi extorsit, sed Palatio Prȩfectus, se muneris sui cancellis circumscripsit. Quo magis ipsum oportuit filium intra eiusdem officij limites se continuisse, quòd, Saracenis Patris sui Caroli virtute nuper debellatis, non iam erat quod gentem prȩdȩ, fidemq́ue Christianam periculo expositam causaretur.

Nostra vt intueamur, Regni Scotici hȩrede legitimo Brussio apud Anglos in vinculis detento, Vallas ille Scotiæ gubernaculis admotus est, potestate adeo plena, vt ipsius edicta in hunc vsq; diem vim legis obtineant. Inter hos cum capitales intercederent inimicitiȩ, noluit tamen ille vel odij stimulis, vel ambitionis turbine eo impelli, vt inimici absentis sceptro se vel armaret, vel ornaret, nec altioribus se titulis induere, quam Gubernatoris, ac Reipub. Administri. Eâ nempe disciplinâ non erat imbutus, quæ Ecclesiȩ arrogat diademata imponendi, detrahendiq; potestatem. En igitur ex D^ni. Cardinalis placitis, quo in loco Regum positȩ sunt fortunȩ. Quoties placuerit, immittet D^nus. Papa medicos suos atque inspectores, qui Regis arterias tractent, pulsus metiantur, ac num ritè cor saliat, num sanum sit sinciput, accuratè iudicent; vbi quid debilitatis, aut intemperiei deprehensum, continuò exuatur diadema, sanius quȩrat,

 quod

quod cingat, caput. Causa legitima si requiratur, in promptu est regi submouendo religionis nomen obtendere. Illo in regno numquid hęreticorum spirat? Religio periclitatur. Isthæc ne serpat longiùs pestis, excusso segni hoc auriga, regni habenis admouendus hęreticorum mastix truculentior. Nunquid ancipitis coniugij à Rege initum citra Papalem dispensationem? Matrimonium proculdubio est proprij nominis Sacramentum: Eo violato, vacillat religio. Sceptrum, ne impurâ manu incestetur ampliùs, castior hęres arripiat. Morbo diutino Rex infestatur? Cum Rege ægrotat religio: alium quærat, cui vacet regnare. Ita religionis nomine venient Regum non modò vitia & errores, sed infirmitates atque infortunia. Hic itaque nimis parcum restrictumque sortitus est Rom. Pontifex suorum latifundiorum ac finium dimensorem, vtpote cuius in regibus abdicandis potestas à consultissimo Cardinale non vltra heresęos, apostasiæ, ac persequutionis angustos limites protendatur.

Exemplum 8. *Pag.*26.

Subsequitur Pontifex Leo III. qui (si D^no. Perronio fides adhibenda) eo-ipso quòd Carolum Imperatorem coronauerit, Occidentales omnes obsequio Gręcis Imperatoribus debito liberauit. Enimuerò hoc ab illo perperàm allegatum est exemplum, ac contra omnium historiarum fidem. Neque enim ostendi vnquam poterit vnicum, non dico regionem aut vrbem, sed vel hominem Papę illius iussu, dominum tum commutasse, ac è Gręcorum Cęsarum clientelâ in Caroli fidem transiisse. Cedò vel vnum mihi Pagum, qui Occidentalis Imperij iure Caroli ditionibus, iam tum accreuerit. Ante

te hæc tempora Occidens à Græcorum Imperio iamdudum defecerat. Ita vt qui hunc à Leone III. Græcis ablatum asseueraret, eâdem operâ dixerit hodiernum Papâ Francorum Regibus Ducatum auferre Mediolanensem, aut Germanorum Imperatoribus ciuitatem Romanam, quod hæc eorum decessoribus olim paruerint. Papæ profecto solenne est eodem, quo confert, modo auferre; Vt quod ipse nunquam habuit, aut quod ipsi iam habent, aliis solet dare: ita sanè Regibus ac Imperatoribus eripit id quo ipsi antea dudum caruerunt, dum Cæsaribus extorquet, quem in manu non habent, Occidentem: Quod quid est aliud, quam hominem nudum vestibus spoliare, ac planè mortuum occidere. Verum quidem est à Pontifice Romano Carolum Magnum diademate indutum, non autem ab eodem potestate Imperiali donatum, vt Rex ab Episcopo solenniter consecratus; haud ideo ab eodem Regnum dono accipit. Hoc si ita se haberet, ipse profecto Papa Pontificatum Episcopo Ostiensi acceptum referret, ad quem ex officio pertinet Papam coronâ ornare. Imperator iam diu consueuit Regis Italiæ coronam de manu Archiepiscopi Mediolanensis suscipere, à quo tamen se regnum Italiæ recipisse non agnoscit. Quod si Carolus Imperium Papæ debuisset, eum certè in ipsâ coronationis pompâ Pontifex non adorasset: quod nos, qui eo ipso vixit sæculo, docet Ado Viennensis, *Perfectis* (inquit) *laudibus, à Pontifice, more Principum antiquorum, adoratus est.* Quod etiam à Ioanne Auentino annotatum, *Posthæc ab eodem* (inquit) *Pontifice, vt cæteri veterum Principum, more maiorum, adoratus est Magnus.* Simile habent Præses Falchettus *Ad ann. 799.*

tus in ſuo antiquitatum libro, & Petrardus Curiæ Pariſienſis Parliamentariæ aduocatus, in ea, quam Euſebij Hieronymi ac Sigeberti Chronicis præfixit, præfatione. A populo igitur Romano collata eſt in Magnum Imperialis dignitas: quod teſtatur Sigebertus: *Romani* (inquit) *vno omnium conſenſu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manus Leonis Papæ coronant, Cæſarem & Auguſtum appellant.* Item Marianus Scotus, *Sub iiſdem temporibus Carolus Imperator à Romanis vocatus eſt.* Platina in vita Leonis III. *Pontifex poſt ſolennia ſacra, populi Romani ſcito ac precibus Carolum magna voce Imperatorem decernit.* Auentinus idem. *Imperium transferre iure ſuo in Germanos Carolumque tacito Senatus-conſulto, plebiſcitoque decernunt.* Iiſdem ſuffragatur Sigonius Regni Italiæ lib. 4. Veruntamen D^no. Cardinali gratificaturi fingamus Imperium Occidentale Cęſaribus Gręcis per Papā abrogatum. Qua quęſo de cauſa? quo commiſſo crimine? quo numine lęſo? Nicephorus atque Irene Carolo coæui Auguſti à Papa certè pro hęreticis non ſunt habiti. Quid tum? Ipſo in articulo nobis ſuccurrit D^nus. Cardinalis, ſuggeritque quoſdam ex eorum deceſſoribus Conſtantinum ſcilicet, ac Leonem fuiſſe olim hęreticos, ac Eccleſiæ vaſtatores. En iuſtam orthodoxi Principis deponendi cauſam, hęreſin, non quâ ipſe imbutus vnquam fuerit, ſed quæ quorundam dudum defunctorum pectoribus inſederit. Hui rem miram! Contrà potius mihi videtur duplici honore, amoreque dignus quicunque à maioribus ſuis oppreſſam, & malè mulctatam reſtituit, tueturq; veritatem. Proculdubio Syluester Papa nequiter ſuo officio defuit, cum *Conſtantinum Magnum* throno

Sigib. ad annum 801.

Mar. Scot. lib. 3. Annal.

Annal. Boiorum lib. 4.

Cæſareo non deiecerit propter eorum, quibus in Imperio ſucceſſit hęres, Diocletiani, Maximiniani, & Maxentij erga Deum infidelitatem, aduerſus ſanctos crudelitatem.

Hinc delabitur D^nus. Perronius ad Fulconem Rhemenſem Archiepiſcopum, qui Carolo cognomento Simplici, Excommunicationem interminatus eſt, obſequiiq; ſui ſubſtractionem. Quorſum verò hoc? Quis enim neſcit Regibus, præſertim (qualis hic erat) facili, tardâque indole pręditis haud vnquam deeſſe ingenia turbulenta, quæ obſeruantię debitæ metas temerè tranſgrediuntur? Hoc autem in exemplo quid eſt quod Pontificis Romani nomen aut Regum depoſitionem ſonet? Exemplum 9. Pag. 27.

His ſubiungit Philippum I. Francorum Regem: quod exemplum quàm ſit ab eo mutatum, mutilatumque poſtea videbimus. Exemplum 10. Pag. 28.

Tandem à D^no. Cardinale deuehimur ad Gregorium VII. cognomento Hildebrandum, Imperatorum flagellum, belli facem, ſęculi ſui opprobrium: qui cum (incœptum audax, ac exemplo carens) in caput Henrici IV. Imperatoris, fulmen excommunicationis depoſitioniſque euibraſſet, vniuerſamque Europam turbis cędibuſque oppleſſet, ſub ipſo rerum pondere ſuccubuit, ac profugus Salerni vrbe latitans, mœrore animi extinctus eſt: Vbi extremum redditurus ſpiritum, ad ſe vocato (narrat Sigebertus) quodam, quem charum habuit, Cardinale, *Confeſſus eſt Deo, & S. Petro, & toti Eccleſiæ ſe valdè peccaſſe in Paſtorali curâ, quæ ei ad regendum commiſſa erat, & ſuadente diabolo, contra humanum genus odium & iram concitaſſe. Tunc demum miſit prædictum confeſſorem ad Imperatorem,* Exemplum 11. Anno 1076. Ad ann. 1085.

 peratorem,

peratorem, & totam Ecclesiam vt optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat. Etiam Benno Cardinalis Gregorio hüic coœuus, qui eiusdem vitam descripsit, testatur, *Quamprimùm è Cathedra ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexerat, sedem nouiter lignis fortissimis compositam, subitò scissam fuisse in plures partes, vt manifestè daretur intelligi sessor tam periculosâ excommunicatione quanta, quámque terribilia schismata seminaret contra Ecclesiam Christi.* Hominem, qui, quod ante ipsum nemo ausus est, patrando maiores suos omnes ignauiæ, aut saltem ignorantię damnauit ipso facto, istum pro exemplo obtrudere Orbi Christiano, quid est aliud, quám nos in latronum scholam erudiendos dare, ac virtutes antiquas nouis velle flagitijs emendare. Quod, cum animo vsurparet, *Otho Frisinghensis* liberè profitetur, sibi Imperatorum vitas, ac res gestas legenti, & relègenti non occurrere, vel vnius ante hunc Henricum Imperatoris exemplum, qui Romani Pontificis voce excommunicatoriâ Imperio deiectus fuerit. Quod si exemplis certamen hoc cernendum sit, ad quemuis æquum saltem arbitrum lubens defero, vtra plus ponderis sint habitura, pro Regibus per Papas deponendis noua (quæ tamen suo plerunque exitu caruerunt) an vetera illa per Imperatores ac Reges re effectuque thronis depulsorum, ac solidas pœnas dantium Pontificum Romanorum.

In vita Hen. 4. lib. 4. cap. 31.

Constantius Imperator Liberium Romæ Episcopum vrbe expulit, Beroën vsque relegauit, eique Fælicem substituit. Erat ille quidem Arianus, eoque impiè hoc crudeliterque admisit; ab antiquis tamen Ecclesię Patribus non eo nomine reprehenditur, quod Pontificem suæ potestati

Theodoret. lib. 2 hist. cap. 16.

testati minimè subiectum violare auderet, sed tantum quod fidei Orthodoxæ hostis in rectè sentientes innocentesque sęuiret.

Sub Valentiniano Primo ad annum Domini 367. Damasi, & Vrsicini de Romano Episcopatu ambiendo conflictatio vrbem seditione conturbauit, in qua centum triginta septem oppressi perierunt. Huiusmodi turbis vt occasionem pręcideret, Honorius Imperator legem tulit, quæ in Decretis habetur Distinctione 79. his verbis, *Si duo fortè contra fas temeritate cõcertantium fuerint ordinati, nullum ex ijs futurum sacerdotem permittimus*. Hac sanctione fretus idem Honorius anno 420. Bonifacium & Eulalium Antipapas Româ expulit, & post aliquot menses Bonifacium reuocauit.

Ammianus lib. 27.

Platina. Sigebertus.

Theodoricus Gothus Italiæ Rex, Iohannem Papam legauit Oratorem ad Iustinianum Imperatorem, redeuntemq; in carcerem coniecit, vbi inediâ vitam finiuit. Rex idem Petrum Altini Episcopum Romam misit, Symmachi Papæ multorum criminum insimulati causam cogniturum.

Anastatius. Platina. Liber Pontificalis Diaconus.

Annum circiter 537. missus est à Theodato Rege Papa Agapetus ad Imperatorem Iustinianum legatus, paci inter eos conciliandæ. Cui in legatione vitâ defuncto suffectus est in Sedem Romanam ab eodem Theodato Syluerius; quem etiam haud multò post Belisarius Imperatoris pręfectus Episcopatu depulit, misitque exulatum. Huic succedit Vigilius, qui Papatum à Belisario interposito pretio coëmerat. Is à Iustiniano Imperatore accersitus Constantinopolin, primò honorificè acceptus est, mox loquendi libertatem plagis penè ad necem

 luit,

luit, iniectoq; in collum fune per vrbem tanquam latro prædatorve tractus est, narrante Platina: à quo etiam non multum abludit Nicephorus lib.26.cap.17.

Platina. Baronius. Sigebertus.

Anno 654. Constantius Imperator Papam Martinum primò catenis vinciri, dein Chersonesum iussit deportari, vbi exul vitam finiuit.

Illius sæculi Pontifices, cum ad Imperatores literas darent, submissis humilibusque vtebantur supplicandi formulis, se Cæsarum maiestatem flexo genu colere, se ad eorum iussa præstanda morigeros, paratosque profitebantur. Imperatoribus nomine Inuestituræ Pontificalis pendebant auri viginti pondo. Quod posteà tributum Papæ Agathoni à Constantino Barbato remissum est, sicut à nobis alibi est adnotatum.

Iustin. Authent. 123.cap.3.

Etiam Romanorum Pontificum potentiâ opibusq; ex effusissimâ Caroli Magni, ac Ludouici eius filij munificentiâ, ingenti cumulo iam adauctis, haud tamen cessarunt Occidentales Imperatores suam in Papis pro libitu constituendis submouendisque exercere potestatem. Papa Hadrianus I. huic se lubens submisit iugo, ac conuocato Concilio, sanciuit, vt penes Carolum ius esset Papam eligendi, ac ea quæ ad Sedem Romanam pertinent ordinandi. Quæ etiam Decretis inseritur Constitutio ad Distinctionem 63. Canone *Cum Hadrianus II.* ac longo pòst vsu confirmata est. Anno Domini 963. Otho Imperator Pontificatu depulit Iohannem XIII. Leonemque VIII. substituit. Similiter per Othones in throno Papali collocati sunt Iohannes XIV. & Gregorius V. & Syluester II. Anno 1007. Imperator Henricus II. tres Papas, quos appellat Platina *tria teterrima monstra,*

Obseruet Lector eiusdem distinctionis Canonē, qui Gregorio IV. attributus incipit, Cum Hadrianus II *falsum esse ac suppositìtium, cum Gregorius IV. Hadrianum II. annis supra 20 præcesserit.*

monſtra, throno depoſuit. Huiuſmodi conſuetudo pluribus ſæculis inualuit, vſq; ad Gregorij VII. tempora: à quo totus Occidens bellorum furijs infeſtatus eſt; orbi turbas, Imperioque peſtem aduehentibus, adeo vt ex illo tempore, magis magiſque indies elanguente maieſtate, eo tandem redacti ſint Imperatores, vt a Pontifice Romano Imperij diadema iamdiu cogantur emendicare.

Cum Franciæ Regno aliquanto mitius actum eſt. Circa annum 832. primus in animum induxit eius gentis Regem anathemate ferire Gregorius IV. qui ſe flagrantibus ibidem factionibus admiſcens, filiorum in Patrem Ludouicum cognomento Pium, nefariè coniurantium partes tueri non detrectauit. Quod Sigebertus in annum 832. teſtatur his verbis, *Gregorius Papa in Galliam veniens contra Imperatorem cum filÿs agebat.* Eorum vero temporum annales; ac Aimonij Benedictini interpolator ſubiungunt Epiſcoporum Gallicanorum hanc fuiſſe vocem, conſtantemque ſententiam, vt Papæ iudicio nullo modo acquieſcerent, ſed contrà, *ſi excommunicaturus veniret, excommunicatus ipſe rediret Pontifex.* Verba Chronici Dionyſiani ſunt huiuſmodi. *A Domino Apoſtolico reſponſum eſt, eum non aliam ob cauſam aduenißе, quàm vt Regem & Epiſcopos excommunicaret, ſi qua in re ſe Ludouici filÿs aduerſos, aut aduerſus Papam immorigeros præſtitiſſent: Quibus auditis, Prælati reſponderunt ſe hoc in caſu illi minime obtemperaturos ad Epiſcopos eos excommunicandos; cum Canonum antiquorum contrà moneret authoritas.*

Bochel. Decret. Eccleſ. Gallican. lib. 2. tit. 16.

Poſtea Regem Lotharium Papa Nicholaus I. communione

munione priuauit (illo ſcil. ſæculo de Regum depoſitione verbum nullum) vt hoc pacto adigeret ad Valdradam dimittendam, ac Thetbergam denuò in coniugium recipiendam. Super hac controuerſiâ Gallorum reſponſa (quorum articuli ex Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis ſcriptis peti poſſunt) ſic habent. A viris prudentibus illud ſtatui, accuratèque defendi Regem cuiuſcunque criminis prætextu, nec à ſuis Epiſcopis poſſe excommunicari, nec ab exteris iudicari: eo quod ſolius Dei, qui eum in ſolio ſolus ſtabilire potuit, imperio ſit ſubiectus, Quinetiam ad Papam eundem bullâ fulminantem à Clero Gallicano literæ reſponſoriæ conſcriptæ ſunt ſatis aculeatæ, atque amarulentę. Quarum vim expreſſit Iohannes Auentinus, cum non tacuerit Papam in ijs *latronem, tyrannum, lupumq;* appellatum.

Annal. Boiorum lib. 4.

Hadriano Papæ ſe rebus Gallicis ingerenti, ac Carolum Caluum intentatis execrationis terroribus adacturo, vt Lotharij regnum ad Ludouicum filium pleno iure deferri pateretur, idem Hincmarus vir cum primis illo ſæculo in pretio, atque authoritate habitus, ſe oppoſuit, ſuaſque ea de re Epiſtolas poſteritati conſignauit. In quibus hæc inter alia occurrunt, *Quod Eccleſiaſtici, & Sæculares, qui Rhemis conuenerant, improperando dixerunt, & dicunt. Nunquam huiuſmodi præceptionē ab illâ Sede vlli prædeceſſorum noſtrorum miſſam fuiſſe.* Et paulò poſt. *Nec etiam ab hæreticorum, vel ſchiſmaticorum, ſiue tyrannorum Imperatorum, ac Regum, quales fuerunt Conſtantius Arianus, ac Apoſtata Iulianus, & Maximus tyrannus præſentiâ & ſalutatione ſiue collocutione ſedis Apoſtolicæ Pontifices, vel alij magnæ authoritatis, atque ſanctitatis Epiſcopi, cum locus, ac ratio, ac cauſa*

causa exegit, se substraxisse leguntur. Et paulò inferius. *Propterea si Dominus Apostolicus vult pacem quærere, sic pacem quærat, vt rixam non moueat: quia nos non credemus vt aliter ad Regnum Dei peruenire non possimus, si illum quem ipse commendat terrenum Regem non habuerimus.*

Subiungit etiam ab Episcopis, & Dominis sæcularibus in Papam minas quasdam, quas ipse se ait non ausum in medium proferre, adiectas: Regem autem ipsum quod attinet, Pontificia mandata quanti ille fecerit, ex regijs, quæ apud eundem Hincmarum habentur, ad Papam Hadrianum literis constat: in quibus postquam Episcopo Romano superbiam, vsurpationemque exprobrasset, in hanc prorumpit vocem. *Quis hanc inuersam legem infernus euomuit? Quis Tartarus de suis abditis, & tenebrosis cuniculis eructauit? contra quàm sacris literis ostensa nobis est via?* Ipsique Papæ, nisi sua delectetur infamiâ, ne sibi aut Episcopis Gallicanis huiusmodi mandata immittat, palàm interdicit.

Regnantibus Hugone Capeto, ac eiusdem filio Roberto, Rhemis celebratum est, omnium manibus iam tritum Concilium, in quo Aurelianensis Episcopus Arnulphus totius Concilij nomine proloquutus Papam Antichristum vocat, ac tanquam deforme monstrum coloribus suis depingit, cum propter ingentia, quibus sedes illa tum cooperta erat, flagitia, tum quod donis allectus Pontifex, præsertim equis quibusdam generosis ad se missis, Arnulphum Rhemensem Archiepiscopum munere suo submotum aduersus Regem tutaretur.

De Interdictis vide Tolosan. de Iurisdictione Sacerdotum cap. 53. & 57. Synodus Lingonensis apud Bochel. lib. 2. tit. 15.

1 Philippum I. quod repudiatâ Berthâ Hollandiæ

Comitis

Comitis filiâ, Bertradam Fulconis Andegauensis adhuc superstitis vxorem superinduxisset, Papa Vrbanus (etiam cum æmulum Antipapam haberet) excommunicauit, regnumque Galliæ vniuersum Interdicto supposuit: prout hìc nobis enarrauit Do^us Cardinalis. Verùm duo hàc in historia potissimùm obseruanda prorsus omisit, Alterum quod à Papa Philippus haudquaquam fuerit regno abdicatus: Ex quo sequitur nihil facere hoc exemplum ad stabiliendam Papæ in Regia sceptra potestatem: Alterum quod censuris Pontificijs interrupta non fuerit obedientia Regi prius debita, multo minus Regium nomen pessundatum: Sed contrà pœnas dederit Iuo Carnotensis, quod à Papæ partibus stetisset, bonis exutus, ac in vincula coniectus, de quibus ipse in Epistolis suis 19. & 20. conqueritur. Me autem si audiet D^us Cardinalis, de Regni vniuersi interdictione, nunquam verba faciet, nisi suo Regi ac Domino odium velit conciliare. Quoties enim ad Regem castigandum, regionem totam Papa emisso Interdicto reddit execrabilem, Principis vnius culpa plurimorum millium immeritas ceruices grauat. Quippe durante sacrâ hac procellâ, regni vniuersi Ecclesijs valuæ occluduntur, publicæ cessant supplicationes, sacramenta frigent, ipsæ etiã mutæ sunt campanæ, denique morientium corpora destituuntur, nec ea fas est in terræ cuiusquam consecratæ gremio componi. Imo, quod longè funestius, quicunq; sub Interdicto positus efflat animam, nisi speciali aliquo muniatur priuilegio, æternis creditur torqueri supplicijs, eo quod vitâ defungatur extorris Ecclesiæ communione. Huiusmodi dira popularis lues si plures annos

De Interdicto vide Toletum de Instructione Sacerdotum cap. 53. & Synodum Lingonensem apud Bochel. lib. 2. tit. 15.

nos numerauerit, bone Deus, quot animarũ misellarum myriades alieno vitio in infernum demergentur? Quid enim populus insons, quid contrà potest, aut debet, si Rex vxori remittat nuncium, ac aliam superinducat?

Philippo I. subnectit Philippum Augustum, qui quod vxore Ingeberga Dalmatarum Regis filiâ repudiatâ, Agnetem Ducis Morauiæ filiam matrimonio sibi copulauerat, à Papa Innocentio III. diris vnà cum regno vniuerso deuotus est. Verùm Do[ne] Cardinali haud cordi fuit ea, quæ in Chronicis Dionysianis reperiuntur, adijcere. Binos scil. Legatos à Papa Cælestino III. missos super hoc negotio: qui in medio omnium Franciæ Prælatorum Concilio facti sunt tanquam canes muti, qui latrare nequeunt, ita vt ab incepto suo desisterent, eo quòd de pelle sua malè metuebant. Similiter non ita multo pòst Cardinalis Campanus Regnum Interdicto subijcere, nisi postquam pedem emouisset, non est ausus. Quibus Rex irritatus, qui consenserant, Præsules sedibus suis eiecit, bonisque multauit. Quicum etiam quadrat quod à Matheo Paris narratur, Regem hunc scil. Papæ, per internuntium Cardinalem Anagninum, nisi cum Rege Anglorum in gratiam rediret, Galliæ vniuersæ execrationem interminanti respondisse, se huiusmodi censuris nullâ causæ ęquitate nixis haud quicquam terreri: adeoque adiecisse, *ad Romanam Ecclesiam nihil attinere in Regem, maximè Francorum, per sententiam animaduertere.* Quod etiam *ex Franciæ Baronum consilio* factum testatur Iohannes Tilius, qui Curiæ Parisiensis archiuis præfuit.

Exemplum 12.

Bochel. pag. 320.

 Philippi

Philippi vero pulchri perquam insigne atque oppositum occurrit exemplum. Anno 1302. Archidiaconum Narbonensem Papa cum mandatis ad Regem legauit, vt Episcopum Apameensem, ob iacta quædam Regi in os maledicta, custodiæ datum liberaret. Insuper cum olim non leuem contra Philippum animo imbibisset simultatem, propter arrogatam Ecclesiasticorum, quæ vocant, Beneficiorum collationem, eundem hoc scripto salutat, *Deum time, & mandata eius obserua. Scire te volumus, quod in spiritualibus, & temporalibus nobis subes. Beneficiorum & Præbendarum ad te collatio nulla spectat. Et si aliquorum vacantium custodiam habeas, fructus earum successoribus reserues. Et si quæ contulisti, collationes tales irritas decernimus, & quantum de facto processerunt, reuocamus. Aliud credentes hæreticos reputamus. Dat. Laterani. &c.*

Lutetiam venerat Legatus suaui hac Epistolâ onustus, quæ postmodò per quosdam è famulatu Regio eius manibus vi erepta est, ac per Artesiæ Comitem in ignem iniecta. Responsum à Rege cordato (vt similes haberent labra lactucas) *Philippus Dei gratiâ Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice salutem modicam, seu nullam. Sciat maxima tua fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse. Ecclesiarum & Præbendarum collationem ad nos iure Regio pertinere, & fructus earum, vacatione durante, nostros facere. Collationes à nobis hactenus factas, & in posterum faciendas fore validas, & illarum vigore possessores contra omnes viriliter nos tueri. Secùs autem credentes fatuos & dementes reputamus.*

His irritatus Papa Regi sacris interdicit. Ipsi vero excommunicationis huius libello nec præco, nec tabellarius

larius vllus inuentus eſt. Rex nihilominus conuocatos Præſules, Barones, Equiteſque Pariſijs conuenit, eos interrogat a quo pendeat quicquid feudi poſſident; quem habeant fundorum ac redituum Eccleſiaſticorum Dominum? Vnâ voce reſpondent ſe in his Regem pro Domino agnoſcere, non Papam; quem etiam hæreſeos, homicidij, aliorumque criminum ibidem poſtulant. Interea loci Pontifex Alemannos & Belgas in Francos inſtigat. Philippus autem vnum ex Equitibus ſuis Gulielmum Nogaretium mittit in Italiam; is Sciarræ Columnenſis conſilio auxilioque fretus Papam Anagniæ capit, ac equo macilento impoſitum Romam perducit captiuum, vbi poſt paucos dies ex animi ægritudine, ac indignatione interijt. Neque vero hæc obſtabant, quo minùs huiuſce Bonifacij ſucceſſores proximi ad hunc Regem literas poſtmodò mites, ac gratioſas darent, quibus omnis harum tragœdiarum memoria abſtergeretur. Quod ex Clementis V. epiſtolâ conſtat, in qua hic Philippus pij, ac religioſi Principis nomine laudatus eſt, eiuſque regnum priſtinæ libertati reſtitutum. Eo tum ſæculo Nobilitas Gallicana alios gerebat Spiritus, quàm hodierna, quæ orationem hanc Cardinalitiam, vel facto, vel voce, vel ſilentio comprobauit: eius temporis Præſules longè aliter erga Regem ſuum erant animati, quàm ipſe D^us^ Cardinalis; qui nullũ aliud reperire poteſt, quo exemplum hoc eludat, ſubterfugium, quàm quòd eius quæſtionis ſtatus ad hæreſin, aut apoſtaſiam non pertinuerit. Quo quidem reſponſo, Papam illum non modo reum agit, quod citra cauſam iuſtam, & legitimam Philippum Regem

Extrauagante Meruit.

 damnauerit,

damnauerit, ſed etiam mendacij arguit, qui in literis illis pulchellis ſuperiùs recitatis Regem in hæreticorum caulam compingit. Addit etiam in eo illius controuerſiæ nodum hæſiſſe, quòd Papa *Suprematum Franciæ temporalem* ſibi vendicaret; hoc eſt ſcil. Bonifacium ſe pro Rege Francorum geſſiſſe, quod nuſquam gentium reperitur. Nil certè aliud ſibi arrogabat Pontifex, quàm vt Præbendarum conferendarum pleno iure frueretur, ac vt Regi in temporalibus ſupereminceret. Quod ipſum etiam hodiernus Pontifex non obſcurè vendicat, dum ad ſe rapit regum deponendorum arbitrium. Quod ſi Cardinalis pergat argutari, aſſeratque Bonifacium hunc VIII. a Francis illis non pro legitimo Pontifice, ſed adulterino habitum, vtpote qui largitione, ac dolo malo in ſedem ſacram irrepſerit, dicat nobis, dicat tandem, quis, ſi Bonifacius inter vmbras numerandus ſit, illam, quæ non ſegniùs quàm natura ipſa, a vacuo ſemper abhorrere creditur, cathedram tunc temporis poſſederit. Quod ſi quicunque ſedem illam ſuffragijs, vel pretio emptis, vel compoſitò præoccupatis aſcenderint, pro Papis parùm legitimis habendi ſint (ſibi ignoſcat Roma, non mihi) tribus certè vltimis hiſce ſæculis, pauciſſimos, & qui vix numerum facient, reperiemus Pontifices legitimos, ac (quod ipſi præ ſe ferunt) Canonicè electos.

Vide Carol. Molinæum contra Paruas Datas vbi inſigne commemorat Curiæ decretum ſub Carolo 7.

Anno 1408. Papa Benedictus Carolo VI. infenſus, quòd artes Pontificis quæſtuarias, exactioneſque, quibus Francia expilabatur, iniecto fræno cohibuiſſet, Bullam contra Regem Regnumque excommunicatoriam emiſit vnam aut alteram. Has Academia Pariſienſis

cenſuit

censuit lacerandas, ipsumque Benedictum siue Petrum de Lunâ *hæreticum, schismaticum, pacisque perturbatorem declarauit*. Ita ex publico Curiæ decreto Iunij 10. an. 1408. sancito, bruta hæc fulmina palàm comminuta sunt, atq; discerpta. Ac decimo post die, dimisso ad horam 11. matutinam Senatu, duo Pontificis emissarij Bulligeruli, qui hasce fulmineas censuras attulerunt, ad gradus palatij mulctam ignominiosam, quam *Emendum honorabilem* vocant, subierunt, ac ad carcerem Luparæ cum omnibus, quæ prodeuntes gestabant, ornamentis reducti sunt; carnificum nempè bigis circumuecti, pictis vestibus amicti, mitris ludibriosis infulati, tubæ clangore risuq; publico comitante. Tanti fecit ætas illa scilicet strepera Paparum fulmina, laruasque chartaceas: quid etiam factura, si diræ hæ bullæ Regem solio deijciendum illorum auribus intonassent?

Theodoricus Niemensis in nemore vnionis Tractat. 6. & somnium viridarij.

Anno 1510. ab Ecclesia Gallicana in Synodo Turonensi conclusum est, atque decretum, Ludouico XII. liberum fuisse, saluâ conscientiâ, Papæ Iulij 2. *bullas abusiuas, censurasque iniustas* contemnere, eiusdemque vsurpationes apertâ vi armisque cohibere, etiamsi Pontifex ad Regem excommunicandum deponendumq; proromperet. Imò, quod longè maius est, consilio Pisæ habito, idem Ludouicus eum Papatu excidisse pronunciauit, ac nummos percussit hac inscriptione circumsignatos, PERDAM NOMEN BABYLONIS.

Respondet D^nus^. Peronius Francos hæc tum ausos, quod probè perspectum haberent, earum contentionũ fluctus, non à Religionis fonte, sed deuiis studiorum politicorum riuulis dimanasse: Quâ quidem voce cum

Pag. 50.

Papam Iulium apertè damnat, quod censuras suas non promouendæ religioni, sed ambitioni suæ satiandæ cuibrauerit; tum nos tacitè docet, penes ipsos esse Francos, siquando se Pontifex ad Franciæ Regem exauthorandum accinxerit, censuræ infligendę causas, num necne iustæ fuerint, pensitare, ac, si modò iniquas esse compererint, Papalia impunè eludere iudicia, fulmina conculcare.

Eodem diademata depascente fulgure simul tactus est Iohannes Labretanus Rex Nauarræ, eiusque Regnum per Papam antedictum ad Ferdinandum Arragonię Regem translatum. Quod si erga Regem suum Franci melius, quàm in suum Nauarręi, non fuissent animati, eius certè, quam iniustam fatetur ipse D^nus. Cardinalis, sententię vigore, factâ quasi vorsurâ, nouum sibi Francia Dominum asciuisset. Cuius sententiæ asperitatem vt aliqua ex parte emolliat, asserit haud inde porrectam regni illius transferendi causam pręcipuam, sed tantùm commodi prętextus ansam arreptam: Rationes verò Ferdinandi solidas in eo fuisse fundatas, quod confęderationem quandam Iohannes Nauarręus deseruisset ea lege sancitam, vt si quando à Regibus Nauarręis violaretur, regnum illud ad Hispanos rediret. Hanc nec veram, neque verisimilem, nec vnquam inter Reges initam conditionem non alio fine visus est Cardinalis cerebro suo excudere, linguaque inculcare, quàm vt Regi suo persuaderet, in Regnũ illud nil sibi iuris esse, adeoq; quicquid soli occupat Nauarrici, mala se fide iniustéq; possidere. Quid plura? En Gallum Regis Hispani Aduocatum aduersus Gallorum Regem. Qui si hunc

Pag. 51.

suaso-

ſuaſorem audiet, neceſſe habet titulis Regiis Nauarrę nomen eximere, ac omnes maiorum ſuorum de reliqua illius regni parte recuperandâ poſtulationes, conatuſque tanquam iniuſtos, condemnare. Iſtamne in media Franciâ ferri linguæ licentiam? Hęccine impunè in conuentu adeò celebri pro concione dici? nec ſe quemquam pro Rege Chriſtianiſſimo vindicem pręſtare, aut Aduocatum? Rei verò indignitatem vt mittamus, tolerabiliora hæc certè forent, ſi cauſam attingerent, à qua prorſus abludunt. Quid enim hæc ad propoſitam quæſtionem, in qua de Papali in Regibus deponendis vſurpatione, de Francorum ad frangendam hanc tyrannidem ſtrenuâ conſtantiâ agitur? quarum quidem neutra, eô imminuitur, quod hanc ſui defendendi gratiâ rationem allegauerit Ferdinandus. Nobis abundè ſatis eſt, quod regnum alteri eripuerit, alteri donauerit Papa Iulius; quódq; Papæ vt ſupra diximus, Franci reſtiterint, ac eundem Papatu decidiſſe pronunciauerint.

Ex eâdem Francorum in iuribus Regum ſuorum vindicandis conſtantiâ, ac fortitudine natæ ſunt illæ, quæ multis retro ſæculis inualuerunt, conſuetudines; Nequis Papæ legatus, ne quod eiuſdem reſcriptum, aut mandatum in Francia recipiatur, *niſi de conſenſu Regis Chriſtianiſsimi*: ac niſi prius ſuas delegationis, quas vocant facultates Regio Procuratori legatus communicauerit, etiam per Curiam Parliamenti perluſtrandas, ac ratas habendas, quam penes eſt eaſdem modis certis, cancelliſque circumſcribere, nequid iuri Regio, Eccleſię immunitati, aut legum authoritati eant derogatum. *Pag.26.*

Salu-

Salutarem hanc autiquitatis normam transgrediente olim Cardinale Baluâ in Franciam misso, anno 1484. ac Rege inconsulto legationis negotia obeunte, intercessum est à Procuratore Regio, ac à Curia Decretum, vt à binis aduocatis reus perageretur, demumque publicata inhibitione Interdictum, nequid vlterius, nisi mallet hostis rebellisque censeri, legatoriæ facultatis exerceret.

Bochellus.

Anno 1561. die Veneris Decembr. 12. Iohannes Tanquerellus Theologiæ Bacchalaureus Curiæ decreto, ad confessionem huiusmodi publicè præstandam, damnatus est, se nempè *indiscretè, ac inconsideratè* hanc Propositionem esse tutatum. *Quod Papa est Vicarius Christi, Monarcha habens potestatem spiritualem ac sæcularem, & quod Principes suis præceptis rebelles priuare potest dignitatibus.* Quæ quamuis à se *doctrinaliter tantùm, & non iuridicè* proposita protestatus sit, nihilominus ille Tanquerellus ad hanc palinodiam adactus est. Respondet D^nus. Cardinalis hanc historiam ad rem non facere, eo quòd Tanquerelli propositio de hæresi, aut infidelitate non agat: Ego verò agere dico, cum loquatur de inobedientia aduersus Papam. Eum enim qui contra Pontificis monita in hęresi perseuerat, erga Papam esse parùm morigerum non dubito. Quibus etiam accedit quòd ex allatis exemplis constet, Papam minimè passurum suam in Regibus deijciendis potestatem ad hęreseos infidelitatisque causam restringi.

Anno 1591. feruentibus adhuc sacræ confæderationis nomine conflatis tumultibus, bellisque, Româ emissæ sunt Gregorij XIV. Bullæ monitorię, quibus Henricus IV. tanquam hæreticus, relapsusq; sceptro Francico inhabi-

inhabilis declaratus est, eiusque regnum prædę expositum. Super hæc Concilio Curiæ Parliamentariæ Turoni Aug. 5. conuocato, Bullæ prędictę laceratæ sunt, ac publici carnificis manu in pyram coniectæ, decretumq; forense publicatum in huiusmodi formam, *Procuratoris Regij generalis* rationibus pensitatis approbatisque, Curia declarauit, ac declarat, bullas monitorias datas Romæ 1. Martij 1591. esse nullas, abusiuas, seditiosas, damnabiles, impietatis, ac imposturarum plenas, sacrosanctis decretis, iuribus, immunitatibus, ac libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contrarias: Earundem exemplaria Marsilij Landriani sigillo, Septilij Lamprij subscriptione munita laceranda decernit per summi carnificis manum, & igne, qui eum in finem pro Palatij foribus accendetur, comburenda, &c. Hæc dum agerentur, à partibus sanioribus stetit D^nus. Peronius, ac refragante Papa, idem cum Rege suo sensit etiam hęreseos obiectę crimine conculcato.

Vniuersa hæc, quæ attulimus, exempla ex ijs, quæ scholas in Francia viderunt Theologicas, sæculis decerpsimus, vt ne pręscriptos à D^no. Cardinale temporum cancellos transgrederemur: Qui nobiscum vicissim non ita rotundè, nec fide nimis bona agere visus est, cum conceptis verbis recenseat, contra Papalem in Regibus deponendis potestatem exempla obiecta esse tria, *Philippi scilicet Pulchri, Ludouici XII. ac illud Tanquerelli*: cum reueuera totidem alia à nobis proposita sint exempla non minus apta, ac aperta; quæ, ne causæ suę detrimentum crearet, sicco pede duxit prętereunda. Pag. 47.

Etiam in summâ Regum seruitute, altissimisque Orbis

F Chri-

Christiani tenebris sua Galliæ haud defuerunt Theologorum Lumina, à quibus hæc Pontificum in Regia iura intrusio damnata est.

Roberto Flandrię Comiti Papa Paschalis II. in mandatis dederat, vt Clerum Leodiensem Henrici IV. Imperatoris per Papam abdicati partes adhuc fouentem pessimis vexaret modis, ad exemplum nempe Cambrensium, quos idem Comes antea diripuerat, atrociterque laniârat, repetendę lanienę pręmium Duci, militibusque oblatum peccatorum (ipso facto) expiatio. Ecclesiastici autem Leodienses responsionem meditati satis liberam ac prolixam, de Ecclesia Romana conqueruntur, eam in Babylonem degenerasse: de Imperatore autem constanter asserunt, Deum in mandatis reliquisse, vt Cęsari reddantur quæ sunt Cęsaris: omnem animam potestatibus supereminentibus subiiciendam: neminē hoc pręcepto exemptum: Obsequij ciuilis sacramentum sine scelere non violari: hoc nec ipsos latére, qui regnum & sacerdotium discindentes nouo schismate, nouisque vt quibusdam visum est, traditionibus eos, qui se fœdo aduersus Regem suum periurio coinquinârunt, perfidię crimine soluere pollicentur. Cumq; eos per opprobrium Papa fidelium communione abdicasset, eidem in os regerunt *Cor Dauidis bonum verbum eructasse, vile autem conuicium cor Paschalis euomuisse, quale vetulæ & textrices solent, quæ diras execrationésque immurmurant.* Se itaque Papalem excommunicationem, vt parùm prudenter latam, prorsus reiicere ac conculcare. Hæc viuo adhuc Imperatore Clericis illis vox erat, libertasque. Postquam autem per Papam concitatâ, per filium patratâ impiâ rebellione, pater primum

mùm imperio extorris profugiſſet, demum miſeriarum ſatur de vita exceſſiſſet, quid mirum ſi, qui ſaluam ſibi cutim vellent, ſupplices huiuſce quaſi delicti veniam petere cogerentur.

Hildebertus Cænomanorum Epiſcopus, qui ſub Philippo I. vixerat, in Epiſtolis ſuis 75. & 40. aſſerit, *Apud Regem opus eſſe exhortatione potius, quàm increpatione, conſilio, quam præcepto, doctrinâ, quam virgâ: hunc enim gladium ad Eccleſiam non pertinere, quæ nullum alium habet, quam diſciplinam Eccleſiaſticam.* *Biblioth Patrum, tom. 3.*

Bernardus ad Papam Eugenium ſcribens, *Non monſtrabunt* (inquit) *puto, qui hoc dicent, vbi aliquando quiſpiam Apoſtolorum iudex ſederit hominum, aut diuiſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Stetiſſe lego Apoſtolos iudicandos, ſediſſe iudicantes non lego.* Item, *In criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis claues regni cælorum, præuaricatores vtique excluſuri, non poſſeſſores.* Et paulò poſt. *Habent hæc infima ac terrena iudices ſuos & reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis?* Et alibi. *Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro probiberis. Si vtrumque ſimiliter habere voles, perdes vtrumque.* *De conſider. lib. 1. cap. 6.* *Lib. 2. cap. 6.*

Iohannes Maior Pariſienſis Doctor. *Maximus Pontifex non habet dominium temporale ſuper Reges. Probatur. Nam dato oppoſito ſequitur, quòd Reges ſunt eius vaſſalli.* *Diſt. 24. quæſt. 3.*

Idem. *Nullum titulum habet Papa ſuper regnum Francorum, vel Hiſpaniarum in temporalibus.* Papam etiam Innocentium III. adiungit aſſerentem Franciæ Regem non *Comment. in lib. ſent. diſt. 24. fol. 214.*

 agnoſcere

agnoſcere ſuperiorem in temporalibus, planèque detrectantem arbitrium interponere ad cuiuſdam de Monte Peſſulano Nobilis petitionem, qui filio ſuo ſpurio ad legitimi nomen ac ius euehendo, non Regium diploma, ſed Papalem diſpenſationem flagitabat. *Sed dicis cum gloſſa* (inquit) *Non recognoſcit ſuperiorem de facto, debet tamen de iure. Hanc gloſſam probo eſſe Aurelianenſem, & textus corruptiuam.* Ac inter alias hanc allegat rationem. *Quòd ex hac ſententia Papis miniſtratur materia rapiendi alieni Imperii, quod nunquam ad finem deducere poterunt: vt legimus de Bonifacio VIII. contra Philippum Pulchrum. Hinc etiam bella oriri ait, quibus durantibus multa mala committuntur. Propterea Iohannes Gerſon aſſerentes talia blandientes appellat.* Ibidem Hildericum à Zacharia depoſitum negat. *Non oportet* (inquit) *vti illo vocabulo (Depoſuit) in ſignificatione, quâ capitur prima fronte, ſed, (ſicut exponit Gloſſa) deponentibus conſenſit.* Iohannes Pariſienſis. *Dato etiam quod Chriſtus temporalem authoritatem & poteſtatem habuerit, eam tamen Petro non commiſit.* Et paulò poſt. *Poteſtas regalis maior eſt in temporalibus, non habens ſuper ſe ſuperiorem, ſicut nec Papa in ſpiritualibus.* Ille quidem Regem aſſerit à Papa poſſe excommunicari, ab eodem autem deponi, illud non ait: tantummodo hinc tanquam *ex accidenti* dicit conſequi poſſe depoſitionem, populo nempe ad Regem de dignitate ſæculari deiiciendum hinc incitato. Atqui idem Iohannes viciſſim tenet, *Quod Imperator poteſt Papam deponere; puta ſi Papa vtatur ſua poteſtate in detrimentum Reipub.*

De poteſtate Regia & Papali cap. 10.

Iacobus Almain ex Sorbonica ſchola Doctor. *De ratione poteſtatis laicæ eſt, pœnam ciuilem poſſe infligere, vt ſunt*

Alm. de poteſtate Eccleſiæ & laica vt habetur inter opera Gerſonis, quæſt. 2. cap. 8.

sunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. sed nullam talem pœnam ex institutione diuina infligere potest Ecclesiastica potestas; imo nec incarcerare, vt plerisque Doctoribus placet; sed ad solam pænam spiritualem extenditur, vt puta excommunicationem, reliquæ autem pænæ, quibus vtitur, ex iure positiuo sunt. Quod si Ecclesia iure diuino potestatem nullam habeat quenquam bonis suis priuandi, quî fit quæso quòd Pontifices Romani, eorumque assentatores, Papalem Regum solijs suis detrudendorum potestatem, verbo Dei fundatam iactitent? Idem Almaini alibi: *Supposito quod Constantinus habuerit potestatem dandi Papæ, vel resignandi Imperium, adhuc propter hoc non potest argui, quòd Papa habeat authoritatem super regnum Franciæ: quia illud non erat subiectum Constantino. Nunquam enim Rex Franciæ habuit superiorem in temporalibus.* Et paulò post: *Nullibi reperitur quod Deus Papæ dederit potestatem instituendi & destituendi Reges temporales.* Alibi etiam tuetur Zachariam non deposuisse Hildericum, sed solùm, vt deponi posset, consensisse, *& sic non deposuit auctoritatiuè.* Itidem libro eodem Occamum sequutus, quem Doctorem appellat, *Imperator est Dominus Papæ in temporalibus: Nam habetur textus* 11. *q. Can. Sacerdotibus, vbi Papa vocat Imperatorem Dominum suum.* Has & similes Iacobi Almaini voces silentio sepelit, dissimulatque D^us. Cardinalis, dum, quem ex suâ sententiâ suisque verbis loquentem proferre oportuit, Occami tantummodo verba recitantem introducit. Quod circulatoriæ cuiusdam agilitatis est, atque versutiæ. Quid enim est hæresum quod Sanctissimis Augustino aut Hieronymo affingi non possit, si omnes aliorum, quas commemorant,

De dominio naturali ciuili & Ecclesiastico S. vlt. pars Quod ex institutione &c.

Quæst. 1. cap. 12. & 14.

Quæst. 2. cap. 8

Quæst. 3 cap. 2.

rant, ſententias approbare ipſi cenſeantur ? Hinc eſt quòd teſtimonia non locis integra, ſed corroſa, ac decurtata adducat. Vt in primo teſtimonio, videre eſt, quod mutilatum adduxit, verbis, quæ contra ſentiens Almainus ſubiunxerat, decuſſis ; ea autem ſic habent, Qu.1.cap.9. *Etſi alij Doctores hoc negent, & doceant Papam habere poteſtatem (ſolummodo) declarandi ipſum (Regem) eſſe deponendum. Patet, quia eſſet occaſio, quòd ratione talis poteſtatis Papa efferretur in maximam ſuperbiam: & illa plenitudo poteſtatis eſſet multùm damnoſa ſubiectis.* Quinetiam ab eodem Almaino cum Occami, tum propriâ quaſi in vnam Qu.2.cap.12. ferruminantur ſententiæ, idque ea formulâ, quæ ipſam apertè iugulat quæſtionem. *Opinio* (inquit) *Doctoris ſimpliciter probabilior eſt, quòd nec per Excommunicationem, nec alio modo poteſt Papa Principem deponere a ſua digni-* Cap.9.10.11. *tate Imperiali & Regali.* Item cum paulò ſuperius ſtatuiſſet Papam nec Imperium Romanum a Græcis ad Alemannos tranſtuliſſe, nec, cum Imperatorem diademate induit, Imperium in eum conferre (haud ſecus ac Archiepiſcopo Rhemenſi Franciæ Regem inungenti Regnum haudquaquam refertur acceptum) ſecundum Occamum ita concludit, *Nego quod (Imperator) teneatur præſtare iuramentum Papæ. Imo potius è diuerſo Papa habens prædia tenetur præſtare iuramentum fidelitatis Imperatori, ratione prædiorum, & ad tributum ſoluendum.* Idem Occamus ab Almaino laudatus aſſerit ſuperiorem in temporalibus agnitum a Papa Iuſtinianum, eo quod leges, quibus obſeruandis ipſe Papa obligatur, ſanxiuerit, verbi gratia, regulam illam præſcriptionis poſt centum annos, quod temporis curriculum etiam contra Rom.

Pontificem

Pontificem obtinet. Vt autem luce clarius constet, quam immani spatio Occami sententia disterminetur ab illâ D^{ni} Cardinalis, qui sub finem dictionis suæ auditores, ne a Papâ vllatenus dissentiant, hortatur, en ipsa Occami verba, recitante Almaino, *Soluit Doctor in libro argumenta Innocentij, quibus nitebatur probare plenitudinem potestatis in temporalibus competere summo Pontifici ex verbis* Quodcunque ligaueris, *dicit Innocentius, quòd* Quodcunque *nihil excipit. Soluit authoritatem Innocentij, quod non solum est falsa, sed hæreticalis: & quod multa verba Innocentij sapiunt hæresim, &c.* Qu.1.cap.14.

Fide etiamnum minore D^{us} Cardinalis bina nobis depromit loca ex Summa Thomæ Aquinatis. Alterum ex Secundæ Secunda Qu. 10. Art. 10. in corpore Articuli: Quem qui propiùs considerauerit, loqui Aquinatem reperiet, non de subiectione, quâ subditi fideles Regibus infidelibus obstringuntur (quod nobis obtrudere cupit Cardinalis) sed de famulis, siue seruis fidelibus, qui heros Iudæos vel Infideles agnoscunt, velut cum sub Iudæo seruitutem seruiebant, qui Christo nomen dederant, vel cum inter Cæsaris domesticos numerantur domestici fidei; quos intuetur scilicet ibi Thomas, non vt ciues, ac Imperio politico subditos, sed tantum vt famulitij partem, ac iussis despoticis suppositos. Locus alter digitum intendit ad Quæst. 11. art. 2. ad ipsum corpus articuli: Ego vero, dum vniuersum Articuli illius corpus perlustro, *Vmbram pro corpore capto*, nec allegati quicquam reperio.

More etiam suo, ac solitâ, non quidem solidâ fide cum Iohanne Gersone agit. Qui quidem in libro de Pag.44.

potestate

potestate Ecclesiastica consideratione 12. ait, *dum redundat abusus potestatis sæcularis in impugnationem fidei, & blasphemiam Creatoris, tunc attendere conuenit vltimam huius 12. Considerationis particulam: quod in his Ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitiuum, directiuum, regulatiuum, & ordinatiuum.* Hæc ipsius verba Gersonis: in quibus de Regum depositione, aut Ecclesiæ potestate coercitiua ne gry quidem. Hæc enim, de qua loquitur quamque Ecclesiæ tribuit *directio & ordinatio* circa censuras versatur Ecclesiasticas, exclusionemque a bonorum communione spiritualium, non vsu, fructu ciuilium, regno denique arcet cœlesti, non terreno deturbat. Hæc igitur Gersonis sententia sensu plane alieno a D^no Cardinale perperàm intelligitur: A quo nec illud omissum oportuit, quod, quoties de Regum in temporalibus subiectione, ac sceptrorum ex Papali arbitrio dependentiâ initur quæstio, idem Gerson Franciæ Regi suum sibi semper ius illibatum ac sacrosanctum seruat. Quod satis testantur ea, quæ locum a Cardinale allegatum paulo præcedunt. *Non oportet nunc post Petrum vt omnis potestas Imperialis, Regalis, vel altera sæcularis sit immediate robur habens a summo Pontifice: sicut Rex Francorum Christianissimus superiorem hoc modo non habet, nec recognoscit in terris.* Iam verò Oedipo non est opus, qui subtile hoc arcanum ingenio rimetur: coronam scilicet Franciæ à Papa pendere, si vllâ omnino ex causâ, aut occasione possit eam donare aut eripere Pontifex.

Pag. 108. 109. 110. Vbi Dom. Cardinalis pro Carolo VI. sep. ponit.

Et quoniam in Gersonem incidimus, opportunum hic erit eas sigillatim excutere sentẽtias, quas ex eiusdẽ publica apud Regem Carolum VI. Academiæ Parisiensis nomine

nomine habitâ oratione desumptas, dictionis suæ calci inseruit D^us Cardinalis, vbi ipsum introducit asserentem *Tyrannicidium* Deo gratum esse sacrificium. Verùm illud etiam atque etiam attendendum, eam non Gersonis esse vocem, sed personatæ Seditionis; quam postquam hæc, & similia loquentem introduxerat, se statim ipse Gerson ita interponit stomachabundus, *Ad furiosam hanc Seditionis vocem ego, quasi exanimis, faciem deflectebam, rabiem eius in dicendo amplius ferre non valens.* Quippe postquam hinc Dissimulatio, illinc contrâ Seditio partes vtriusque extremi aduersas aliquantisper tutatæ essent, moderatricem, ac Mediocritatis vindicem inducit idem author *Discretionem*, ea ipsa quasi de tribunali pronunciantem, quæ D^us Cardinalis contra se allegat. *Concludamus*, inquit, *quod si caput, aut aliquod ciuitatis membrum tale incurreret inconueniens, quod tyrannidis mortale venenum sorbere vellet, membrum quodlibet suo in loco, toto posse, obuiare deberet, per media conuenientia, & talia, per quæ non peius sequatur. Non congruit, si caput paruo afficiatur dolore, manum ipsum percutere. Hoc enim fatuum esset, nec conuenit ipsum statim abscindi, aut à corpore separari, sed in omni dulcedine medicari, tàm per verba bona, quàm aliter ad bonorum medicorum exemplum. Nec quicquam esset irrationabilius, & crudelius, quàm per seditionem tyrannidem impedire velle.* Isthæc mihi videntur perquàm apposita & rotunda aduersus Regum etiam Tyrannorum lanienas. Ac paulò post de eijcienda Tyrannide agens, nihil de exigendo Tyranno loquitur, sed de Tyrannide tantum auferenda: Remedia igitur petenda monet, non à Papa Regem abdicante, sed à *Philosophis, Iuristis, Theologis, & bonæ vitæ hominibus.*

minibus. Ex his, quæ diximus constat, cum in septima consideratione *contra Blandientes* dicat, quòd *si subditos manifestè, & cum obstinatione in iniuria, & de facto prosequatur Princeps, tunc regula hæc naturalis; Vim vi repellere licet, locum habet: & id Senecæ in tragœdijs, Nulla Deo gratior victima, quam Tyrannus*. Hæc verba (*locum habet*) eo sensu, quo alibi ab eodem authore vsurpata sunt, esse accipienda: nempe inter seditiosos. Vel idem valere *tunc locum habet* ac si dixisset, tunc temporis in vsum & praxin venit, nec tamen suum hac in re calculum interposuisset.

Neque vero D^no Cardinali omittendus erat Sigebertus, quem nihil obstat quin in Gallorum, siue Francorum numero habeat potius quàm Thomam Aquinatem, aut Gulielmum Occamum: quos quidem nobis pro Francis obtrudit. Is in Annalibus suis ad annum 1088. de Imperatoris per Papam depositione loquens, *Hæc sola*, inquit, *nouitas, ne dicam hæresis, nec dum in mundo emerserat, vt Sacerdotes illius, qui dixit Regi apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quòd malis Regibus nullam debeant subiectionem, &, licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem*.

Cum causæ suæ firmamenta, quæ potius ex verbo Dei, veterisque Ecclesiæ exemplis quæsiuisse oportuit, D^nus Cardinalis ex nouissimorum sæculorum historijs adeo, vt vidimus, anxiè discussis petierit, (ex quibus tamen si ab ipsius partibus starent, nulla huic controuersiæ terminandæ conciliaretur authoritas) relictis tandem probationum suarum cohortibus, aduersariorum tela

ipse

ipse videri vult & acuere, & retundere.

Vt obiectionibus liberam sternat viam, ita intercedentes Regum sceptrorumque defensores introducit. Pag.52.& sequentibus. *Verùm* (occurretur inquit) *fieri potest, vt Regibus crimen* » *hæreseos, aut apostasias nil tale merentibus intendant Pontifi-* » *ces, aut turbulento scilicet animi impetu abrepti, aut incertis, fal-* » *lacibusque facti narrationibus aurem præbentes.* Ad hæc re- » sponsum suggerit Regum exactoribus. *Eos hæresin intel-* » *ligere notoriam, ac præuiâ Ecclesiæ sententiâ damnatam. Iti-* » *dem si Papa in facto errauerit, Clero incumbere vt Regi suo* » *adhærentes Pontificem monitis, argumentisque propositis obtun-* » *dant, flagitentq́, vt ad plenum Concilium res referatur, præsente* » *Ecclesiâ Gallicanâ dijudicanda.* In quo quidem hic noster » cum Bellarmino Concardinale haudquaquam eodem torquetur cardine, qui apertè tuetur Regem iniustè damnatum à Papâ, debere nihilominus Regno cedere, *Aduersus Barclaium.* adeoque sententiam summi Pastoris iniustam Regi nihil detrimenti creaturam, cedat modò, seq́; vndiquaque obsequentem præstet, ac Papam errori suo tandem agnito abrenunciaturum patienter expectet. Quibus quidem astruendis bina hæc supponenda, cùm eum, qui Regni iam compos est, idem Sancti patris iussu continuò dimissurum; tum Regem immeritò deiectum, pendente interea lite, tutum à sicarijs incolumemque permansurum. D^no autem Peronio non placet concessa Papæ adeo vasta potestas: Rege enim iniustè deposito per Papam, vt loquuntur, *male informatum*; Regnum non vult Pontificis iussa pati, sed eundem rationum refutationumque telis repellere, ac in frequentis Concilij campum prouocare: Isthoc certè di-

cto Papam Concilio prorsus subiecit: Quod, præsertim in Cardinale haud quidem gratum habiturus est Sanctus Pater. Iam verò hoc, quod requirit, Concilium proculdubio vniuersale esse oportet, ad quod, Gallicani Episcopi non sunt vt Iudices admittendi, cum partem faciant, ac Regis sui causam foueant. Eapropter scil. Do^m Cardinalis Ecclesiam Gallicanam huiusmodi Concilio interesse tantùm postulat. En ergo quo res redierit Gallicana: Ad Episcopos Italicos, Hispanicos, Siculos, Germanos, Principum in Franciam forte parùm beneuolorum, nonnunquam etiam hostium subditos referendum, vtrum Francia Regem sit suum exactura, vtrum seditionis flamma sit in medijs Regni illius penetralibus accendenda. Verùm numnon fieri potest, vt subditi Regi suo male velint, ac eiusdem opprimendi ansam hinc arripiant? Annon vsu euenire potest, vt, quibus Pontifex, ijsdem etiam populi pars bene magna calumnijs per credulitatem decipiatur? Annon probabile est populum in factiones discessurum, hos Papæ, illos Regi suo constanter adhæsuros, inde bella intestina incalitura? An certum est Francorum rationibus postulatisque Pontificem acquieturum? Cum autem intra septa Ecclesiæ Romanæ, Synodus vniuersalis non nisi Papæ auspicijs nutuque nunc dierum celebrari possit, nunquid credibile est Papam velle Concilium conuocare, a quo ipse iudicetur? Quî vero poterit Papa Concilio præsidere, in quo ipse reus agendus est, ac pro quæstione, cui definiendæ conuenitur, proponitur vtrum rite necne atque ordine Papa sententiam tulerit. Enimuero dum hæc primo propositionibus expostulantur,

lantur, deinde Synodicis disceptationibus ventilantur, ecce maiestatem interea loci pendulam, ac quasi nube spissâ obuolutam, arbitrium expectantem generalis scilicet Synodi, quæ si, Tridentinam imitata, biennio trienniove coalescat, annosque duret vndeviginti, en misellæ Franciæ quo interim loco positæ sunt Fortunæ. Verbo vt absoluam, quæ ad soluendum hunc nodum affert D[us] Cardinalis, omnia & supra fidem sunt, & planè ludicra. Quod ex ijs, quæ subiungit, constat. *Quod si Papa errore facti deceptus præcipitanter iniustéque Regem hæreticum declarauerit, declarationem hanc Papalem non poterit, nisi interueniente Regni ipsius consensu, sequi depositio*, vt loquuntur, *actualis*. Quid nos opus erat hoc moneri? Quis nescit Regem, dum à subditis suis sustentatur, atque propugnatur, non posse dici actu effectuque depositum? Ita qui loquitur, idem dixerit Regem coronâ, quam iam custodit, non orbari; non posse nudum constitui, dum adhuc vestitus manet: nunquam fore regno extorrem, dum inimicis est fortior. Denique semper Regem futurum quamdiu regnum possederit. Interim etiam obiter Cardinalis verba obseruemus. Quod *ad Regem deponendum opus est populi consensu*. Qua voce populus supra Regem euehitur, ac Regiæ depositionis iudex constituitur.

En verò, quod longè maius. Etenim posse Papas in fide errare ab ipsis etiam Papis agnitum est: E quibus nonnullos facilè est nominare, qui Papam Honorium damnârunt, eo quod esset *monothelita*. Sanctissimi Hieronymus, Hilarius, Athanasius Liberium Romæ Episcopum deflexisse, ac Arianismo subscripsisse testantur. Iohannes

Can. Si Papa dist. 40. Nisi sit à fide deuius.

hannes XXIII. à Concilio Constantiensi damnatus est, quod Paradisum pariter infernumque de rerum natura sustulisset. Modo non absimili etiam alij Pontifices. Si quis igitur Papa hæreticus Regem Orthodoxum falso hæreseos crimine damnauerit, adeoque deposuerit, numquid censes bellum hunc hominem, qui se *omnia iura in scrinio pectoris* habere recondita gloriatur, velle propositis Francorum rationibus acquiescere? Qui verò ipse ab hæresi non est semper immunis, quî poterit contra Regem esse iudex de hæresi? Regestum est supra posse eum vt hominem, non vt Papam errare. Scilicet. Atqui verò hoc in casu cur Papa ille hominem illum non instruit? vel contrà cur ab illo Papâ homo ille alter-idem se doceri non postulat? Certè quidem Rex, si per hunc vel hominem, vel Papam deponatur, tantundem est, regno deponitur. Occurrunt alij, errare posse Papam in quæstione facti, in iuris quęstione non item. Nugæ, gerręque germanæ. Si enim Papam latere poterit vtrum necne IESVS CHRISTVS pro nobis mortuus sit, quid ni itidem lateat vtrum in morte CHRISTI nostra collocanda sit fiducia? Videte mihi prisci sæculi Prophetas: illi certè cælitùs inspirati instructiq; ad Reges Iudaicos Israeliticosque commonefaciendos atque obiurgandos, non de facto magis, quàm de iure vnquam titubarunt, æquè oculati, inuictique contra obrepentes calumniatorum fraudes, ac aduersus fucum falsorum dogmatum. Denique vt in re fidei nunquam errarûnt, ita in innocentes, immeritosq; linguam nunquã exacuerunt, nedum virgulam euibrarunt. Lepidum verò tunc temporis fuisset affirmare, eos in hæresin erroremve

remve labi potuisse, quâ Esaiam, quâ Danielem, non autem quâ Prophetas. Isthoc enim in casu proculdubio Esaias ille Prophetam adhibuisset in consilium, hoc est semetipsum. Denique si Reges tantum eousque pro Regibus habendi sint, donec eos tandem Papa hæreticos declarauerit, atque deposuerit, in summo semper periculo versantur iniqui valdè iudicij subeundi, adeoque ipsis longè tutius esset nihil omnino scire, ac per vicariũ siue procuratorem credere, ne fortè, si de Deo loquutuleij videantur, aut de religione solliciti, in hæreticorum pristino molant. Vniuersa quæ apud D^num. Cardinalem sequuntur exempla, quid aliud sapiunt quàm nouitatem, leuitatem, temporumque seruitutem? in quibus etiam Pontifices in causa propria sibi perhibent testimonium. Neq; verò circa Regum depositionem versantur, sed excõmunicationem, interdictionemq́; quæ controuersiam nostram nõ incurrunt. Hinc fit quod sæpè se profiteatur non nisi *de facto* loqui, quasi conscius hæc *de iure* non patrata: quid euenerit narrat, non quid fieri oportuerit. Quod planè nihil docentis est, ac non tam Perronicâ grauitate, quàm Pyrrhonica leuitate omnia vellicantis.

SECVNDI INCOMMODI EXCVSSIO.

SEcundum, quod ex propositi à plebeio Ordine Articuli receptione emersurum scilicet animaduertit D^nus. Cardinalis incommodum, est, quod *de religione iudicandi sibi arriperent Laici potestatem, ac statuendi, eam, quæ thesi illa continetur, doctrinam verbo diuino* Pag. 86.

esse

" *esse consentaneam, denique necessitatem imponere possent Eccle-*
" *siasticis huiusce propositionis partem alteram prædicatione pro-*
" *mulgandi, iuramentóque obsignandi, alteram voce scriptísque*
" *oppugnandi.* Quæ dum meditatur indignabundus, qui-
" bus verborum ampullis intumescit? *O opprobrium, O*
scandalum, O portam omnium hæresum cohorti apertam! Hanc igitur Laicorum vsurpationem odiosam reddere, & rationibus satagit, & Scripturæ locis. Quæ dum voluit saxa, sudando, hilum non proficit, illud pro concesso arripiens, quod nusquam est gentium. Cum enim hanc proponeret Thesin Ordo ille plebeius, se non vt iudicem gessit, sed vt indagatorem, vel etiam petitorem; nec ad aliud collimauit, quàm vt prędictus articulus in publicos conuentus illius codices referretur, inde Regi honorificisque Consiliariis exhibendus, eorum expectato super hac re iudicio, cui quidem postulato promouendo sibi suffragaturos vnâ Ecclesiasticos Proceresque sperabat. Non ita rerum ignari, officiique parùm memores erant populares, vt quod à se semel propositum esset, aut rogatum, vim legis obtinere crederent, vtroq; Ordine superiore adhuc reclamante, ac Rege ipso nondum consentiente. Neque verò hic ab ijs articulus in medium adductus est, vt inter religiosa dogmata censeretur, sed vt pro Reip. cuius illi & partem, & curam gerebant, lege fundamentali in posterum obtineret. Si enim Rex articulum hunc assensu suo ratum habuisset, ac Ecclesiasticis imperasset, vt eius vim effectumque executioni mandarent, illis, vt subditis, incumberet Regi suo præstare obedientiam, obligatis scilicet ad operam Regi nauandam, opemque conferendam, in iis, quæ Re-

giæ incolumitati, Regnique tranquillitati inseruiunt. Atque hoc dum pro virili conarentur, non Plebeio Ordini, sed Regi essent dicto audientes, qui mandata huiusmodi dedisset pro imperio suo, commonefactus quidem à fidelissimis subditis, quorum diligentiam ipsa Cleri, Papæ quàm Regi obstrictioris, exacuit negligentia. Hìc itaque cum laruis luctatur Cardinalis, ac quęstionem mouet absque aduersario. Neque id quidem frustra; sed pro ingenio suo, versutè satis hoc pacto liberiùs Regem suum in disciplinam vocat, eique iura pręscribit, orationem personatam ad popularem Ordinem specie tenus dirigens, sed reipsa Regem, Principes, honoratissimosque Consiliarios sub Laicorum laruâ pungens, atque obiurgans, quorum hac in re iudicijs, quam populari postulato, Ecclesiasticos verisimile est plus commoueri. Hi ergo sunt, quos inducit alieni muneris inuasores, portarumque ad hæreses admittendas reclusores: siquidem enim ad solos Clericos, eorumque præcipuè caput pertineat de iure Regum inuiolabili iudicare, certè Rex ipse cum Principibus, vniuersaque Nobilitate non minùs, quam Ordo plebeius, erit à sacro hoc senatu eliminandus.

Pleno itaq; imbre Scripturarum testimoniis depluit, quibus nempe monetur populus, vt Pastores suos debitis officiis prosequatur. Quasi verò hisce præceptis retundenda sit populi diligentia, quâ Regiæ vitæ ac incolumitati inuigilat, etiam contra nefarios quorundam conatus, quibus stimulos subdunt viri scilicet Ecclesiastici, qui se Regibus subiectos negant, externo capite freti, longè dissimiles ijs, quos loca allegata describunt, sacerdotibus Pag. 61.

ac præpositis, qui nihil vnquam priuilegij adeò insolentis ac odiosi sibi arrogârunt. Imperatores quinetiam inducit, Constantinum causarum Episcopalium iudicium à se amouentem: necnon Valentinianum, qui subtilium Theologiæ quæstionum enodationem à se amoliens, *Nolle se dixit in abstrusarum eiusmodi contemplationum nodos ingerere*. Quasi verò Regiæ securitati prouidere sit causas Episcopales discutere, aut subtilia curiosè rimari. Qua quidem responsione facilè occurritur omnibus, quæ à Cardinale hic allegantur, sanctorum Patrum sententiis. E quibus illud è Gregorio Nazianzeno parùm candidè citatum est: qui non Imperatorem, sed Præfectum, siue Præsidem affatus, inquit ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. Etenim *nos etiam imperitamus*, id est, authoritate quadam nobis peculiari pollemus. Quod sic reddidit D[us] Cardinalis. *Nos etiam Imperatores sumus*. Cum neque Imperator fuerit, apud quem hæc pronunciata sunt, neque sine insigni leuitatis notâ potuerit exiguæ (quale Nazianzum) villæ Episcopus nomen Imperatorium sibi arrogare. Quod enim ad subiectionem Imperatoribus debitam attinet, se *cum vniuerso grege suo potestatibus supereminentibus subditum, vsque ad tributi debitionem* paulò superiùs agnouerat. Eiusdem Gregorij vita, cuius descriptio ipsius operibus præfigi solet, testatur eum ab Arianis protractum ad tribunal Consulare, ac inde dimissum absolutum, & à plagis contumeliisque immunem. En verò post isthæc omnia Prælatum Ecclesiasticum, qui hunc Gregorium se titulis Imperatoriis venditasse somniat. Lubenter illud quidem fatemur, ad se nunquam rapuisse supremum de fidei doctrinâ Iudicium Imperatores, atqui Synodis moderandis,

Pag. 62.

Oratione ad ciues timore perculsos.

ὑποτελεῖς φόρου.

derandis, earumque decretis approbandis, adeoque disciplinæ Ecclesiasticæ promouendæ suam interposuisse authoritatem, id probè perspectum habemus, accuratéque defendimus. Concilium Constantinopolitanum I. hac gaudet inscriptione. *Dedicatio sanctæ Synodi ad pientissimum Imperatorem (Theodosium Magnum) Cui canones ab ipsis editos subiecerunt.* Ibidem Concilij confirmationem, approbationemque petunt ab Imperatore: Similia habet Concilium Trullanum, à quo Quinti ac Sexti Conciliorum Canones editi sunt. Non quod Imperatores se Iudices de religione erroris expertes constituerent: sed hæc eum in finem administrarunt, vt ea, quæ ab Episcopis deliberata erant, atque conclusa, (viris, vt est hominum genus vniuersum, suæ sortis amplificandæ cupidis) cognoscerent, atque perpenderent, numquid in iis occurreret, quod regiam authoritatem violaret, Reipub. pacem conturbaret, aut præcedentium Conciliorum decretis salutaribus repugnaret. Quibus causis hactenus tractandis qui Regem arcent, certè in statuam mutant, à Regij officij sollicitudine semouent, ac eo redigunt, vt nil aliud quàm publici lictoris, ne dicam carnificis partes obeat, dum Ecclesiasticorum iussis se procuratorem ac mandatarium præstat, nulla etiam in iis, quæ Regem maximè attinent, ipsius præuiâ causarum recognitione. Ad scholas fateor Theologicas pertinere de potestate clauium, eiusdemque amplitudine disputare, ac iudicium interponere: nec diffiteor quidem posse, ac debere Ecclesiasticos, Laicorum iudicio minimè requisito, in Principes, qui spreto, quo se obligârunt Sacramento, IESV CHRISTO bellum indicunt, censuras sacras contorquere.

Canones Græci à Tilio editi.
προσφωνητικὸς τῆς ἁγίας συνόδου πρὸς τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα, ᾧ ὑπέταξαν τοὺς ὑπ' αὐτῶν ἐκτεθέντας κανόνας.

 Hoc

Hoc autem non impedit, quò minùs nonnunquam accidat, vt clauium suarum potestatē Clerici iusto longiùs extendant, aut si quando hoc prætextu freti populum bonis, Regemve sceptro priuare sategerint, Regem, populumve penes sit sibi cauere, sua tueri iura, ac Clericos postulare, vt diplomata sua in medium producant, sacræq; paginę oraculis eam, quam vendicant authoritatem à Deo sibi porrectam ostendant. Hoc enim Papæ, vt Iudici absoluto, negotium committere, in quo ipse pars est, quodque dominij sui summum propugnaculum, ac splendissimum apicem facit, vt de Regum scilicet coronis pro arbitrio statuere possit, quid est aliud, quam extra omnem iuris sui obtinendi viam, aut recuperandi spem Reges amandare?

Haud grauabor etiam illud profiteri, siquid verbo diuino prorsus contrarium, ac Ecclesiæ subuertendæ pronum fortè Rex mandauerit, Ecclesiasticorum esse hoc in casu non modò populum ab omni in rebus huiusmodi obedientiâ liberatos pronunciare, sed ipsi etiam Regi, ne faciat, aut iubeat, apertè interminari. (Deo quippe semper potius quàm hominibus parendum.) Iisdem verò interim incumbit populum, vt huic principi, in reliquis, quæ Dei maiestatem non imminuunt, fideliter, constanterque pareant, cohortari, ac ab omni tumultu, & seditione inhibere. Id certè veteribus solenne erat Imperatorum à Christo alienorum iugo laborantibus Christianis; quorum patientiâ ac masuetudine vberius fæliciusque creuit olim Ecclesia, quam hodie suis artibus, hoc est Regum abdicationibus, Regnorum interdictionibus, lanienis, parricidiis, insanisque machinarum sulphurearum

sub-

substructionibus, Papismus vnquam est inualiturus.

Eâdem, quâ priora, integritate Do^nus Cardinalis loca Scripturæ quædam distorquet in eorum gratiam, qui Papæ Reges deponendi authoritatem vendicant: *Allegant* (inquit) *Samuelem deposuisse Saulem, aut depositum declarasse, eo quod Religionis Iudaicæ leges violasset.* Eundem etiam alibi depositum ait propterea quod Sacerdotium vsurpasset. Vtrumque falsò, & contra apertam sacræ historiæ fidem. Neque enim vnquam Saulem legimus depositum eo significatu, quo Rex hâc in controuersia *deponi* dicitur, hoc est dignitate Regia spoliatum, ac ad vitæ priuatæ sortem detrusum: cum vsque ad supremum anhelitum & Regnum proprio iure administrauerit, & Rex semper in Scripturis fuerit appellatus; ne ipso quidem Dauide, cum iam & promisso diuino, & præuiâ vnctione sceptris immineret, suos illi titulos minuente. Quod si eum Samuel ex Dei mandatis regno iam submouisset, non sine graui & Ecclesiæ Israeliticæ, & Prophetæ ipsius peccato ab vtrisque rex etiamnum salutatus fuisset, contra clamante Dei ordinatione, per hunc promulgatâ, ab his susceptâ. Nec ab eius cæde manum ea ratione Dauid abstinuisset, quòd erat *Vnctus Domini.* Siquidem ex illo momento, quo Samuel eum ne rex esset amplius à Deo reiectum renunciârat, regni gubernaculis excidisset, adeoque regnare desijsset, Dauidem, ne regnum illud Rege vacaret, iam tum oportuerat gubernaculis se admouisse: vnde sequeretur etiam sacram historiam erroris insimulandam: quæ regni Dauidici annos a Saulis interitu auspicatur. Deum quidem 2. Samuelis

Pag. 66.

1. Sam. 23. 20. & 24. 15.
2. Sam. 2. 5.
1. Sam. 26. 11.

lis cap. 15. denunciasse verum est, eum a se reiectum, ne Rex esset amplius super Israelem; huiusce autem sententiæ denunciatoriæ exequutio in diem illum dilata est, quo Saulem Deus supplicio in exemplum memorabili affecit, regioque simul decore ac vitâ tradidit spoliandum. Vnde vnctione Dauidis a Samuele prius obitâ constat, non tam præsentem in solium euectionem, quàm promissionem diuinam obsignatam, electionisque Dauidem imperio designantis declarationem celebratam. Quo in genere simile occurrit Dei mandatum, 1. Reg. cap. 19. Eliæ Prophetæ commissum, Hasaelem in Syriæ Regem inungendi: Neque enim quemquam crediderim in historia adeo peregrinum, vt Reges Syros existimet à Prophetis Israeliticis constitutos, aut consecratos. Hanc denique ob causam Dauid cum regnum iniret se denuo inungi passus est.

1. Sam. 16.

Item eosdem Paparum pugiles inducit asserentes, *Roboamum Regiâ in decem tribus Israeliticos potestate priuatum per Abiam prophetam; quòd pater eius Salomon à lege diuina defecisset.* Quod quidem non minus abest a veritate. Nusquam enim legitur Ahias Rhoboamum affatus, aut Dei verbis illi quicquam annunciasse. Nec locus a D^no^ Cardinale citatus 3. Regum cap. 11. Rhoboami regnantis, sed Salomonis tempora attingit: nec destituiendi Regis sententiam præ se fert iudicatoriam, sed prædictionem propheticam. Quî potuerat scilicet regno deijci Rhoboamus nondum regnum adeptus? Denique (quod improbius est) hoc pro exemplo iustæ Regis deponendi causæ, sententiæque legitimæ allegare, quid aliud est, quàm serui erga Dominum perfidiam

approbare.

approbare, & Ieroboamum perduellem, quem sacra historia impietatis stigmate infamauit, tacitè collaudare.

Quod subiungit, exemplum eiusdem classis est. Achabum nempe, *quòd falsorum Deorum cultus admisisset, per Eliam prophetam regno exutum.* Hoc æquè falsum, ac illi dij falsi. Achabus non prius regno excidit, quam vitâ. Scripturæ ipsæ, quæ non ex hominum opinione, sed rerum veritate loquuntur, regni Achabici annos ad eiusdem vsque mortem vnâ producunt. De imminente Regis interitu vaticinia depositionis sententiam non sonant. Achabi subditos datæ fidei religione solutos Elias non pronunciat, nec loco Achabi alium in solio statuit Regio. 1. Reg. 19.

Nec verius illud, quod mox sequitur, *Regem scilicet Oziam populi consortio exterminatum per Azariam Sacerdotem; Inde Regni etiam administrationem illi ereptam.* Postquam enim Deus lepræ plagam illi inflixerat, in secreta recessit, ne contagione alijs obesset. Summus Sacerdos in eum nihil statuerat, quod depositionem saperet, vel a Regno administrando suspensionem. Eius regnum in Scripturis cum vitâ terminatur. Quod si eum Sacerdos secundùm legem Leu. 13. immundum iudicauerit, de eo sententiam tulit, vt infirmo, atque ægro, non vt criminis reo, ac depositionis pœnæ obnoxio. Lex sceleribus, non morbis supplicia solet irrogare. Iosephus cum vitam priuatam eum traduxisse asserat, non innuit regno deiectum, sed ciuilium negotiorum procuratione atque onere subleuatum. Pag. 68. 2. Chron. 26. Antiq. lib. 9. cap. 11.

Mattathiæ exemplum Iudæos ad rebellionem aduersus Pag. 69.

ſus Antiochum inſtigantis tantundem valet: Ibi enim nulla depoſitionis ſententia, ſed populi afflicti, oppreſſique animatio, atque erectio. Qui ſe coniurationi contra Regem ineundæ præbet anteſignanum, non continuo iudicis perſonam ad Regem gradu ſolenniter deijciendum induiſſe cenſendus eſt. Huic ſeditioni dux acceſſit Mattathias, non vt ſacerdotis vice fungens, ſed vt vir inprimis bellicoſus, ac inter ſuos egregius. Facinora denique ſubito populi impetu patrata pro legibus haudquaquam ſunt habenda, nec ordinariam, qualem Papis attribuunt, adeſſe comprobant poteſtatem.

Pag. 67. Hæ certè noſtræ ſunt reſponſiones: non autem illæ, quas nobis pro libitu affingit Do^us Cardinalis, vt ſibi delicias creet, dum leuem, quam ipſe nobis induit, armaturam confodit, atque diuexat. Operæpretium itaque facturus non ſum, ſi retundere coner, quæ ab eo allata ſunt, de noui Teſtamenti miſſione ordinaria, de lepra, de lapidibus, de floccis, & argutulis huiuſmodi titiuillitijs, quæ peritus ſcilicet ſcabiei medicaſter ex intimo leprario delibauit, Regum capitibus obnubendis, eorumque coronis infœlici arbori ad Papæ arbitrium ſuſpendendis: hæc ideo omnia, quia hæreſis quandam lepræ ſimilitudinem gerat, quod quidem non minus aptè de quauis animi labe inueteratâ, ac contagioſâ poteſt prædicari. Iure itaque optimo ſe profitetur nihil Pag 66. hac in parte ſtatuere, infirmiſſimis nimirum nixus rationibus, quibus ſuperſtrui erecta & conſtans neſcit ſententia.

Deiectis his ratiuncularum machinis, videamus num *noſtrum mage ſit penetrabile telum.* Cuius cuſpidem

ita

ita intentat. *Qui negatiuam* (inquit) *partem tuentur, Sancti Pauli præceptum inculcant, Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita esto. Qui enim potestatibus resistit, diuinæ resistit Ordinationi, & Petri illud, Subditi estote, siue Regi, vt præcellenti, siue magistratibus &c. Vnde Regibus obedientiam iure diuino deberi colligunt, ideoque nulla authoritate seu spirituali, siue temporali dispensabilem.* En quæ nos asseuerantes introducit. Atqui, quod in argumento hoc nostro est neruosissimum, sciens dissimulat: Imperatores scilicet, de quibus locuti sunt sanctissimi Apostoli, apertos fuisse Christi hostes, ac tyrannos sanguinarios: hæc tamen non obstitisse, quo minus *omnis anima*, ideo Episcopus etiam Romanus ijs subijceretur: Quod nos apertè docuit Sanctus Chrysostom. homil. 23. in Epistolam ad Romanos. *Ista imperantur omnibus & Sacerdotibus, & monachis, non solum secularibus. Etiamsi Apostolus sis, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis tandem fueris.* Illud etiam obseruatu dignum, generale hoc mandatum, quo omnes æquè obligantur Christiani, a Sancto Paulo ad Romanam Ecclesiam speciatim, rectâque dirigi, quasi præscio ac præmonente, illâ in vrbe, seditionum fontem erupturum, ibi nascituram belluam, quæ ciuili obedientiæ neruos corroderet. Cuius quidem Ecclesiæ capiti si quod in promptu sit priuilegij munimentum ex Scripturæ archiuis desumptum, quo se generali huic mandato eximat: Cardinalem decuerat obsignatis tabulis egisse, ac in celeberrimo conuentu, qui hoc auidè expectabat, in medium protulisse. Ille autem huiusmodi confirmationis loco leui declinatione vtitur, caussatus fundamentum illud, quod a nostris positum est, controuersiæ

Pag. 69.

„ trouersiæ nodum non attingere. *Illud enim* (inquit) *haud*
„ *controuertitur, vtrum Regibus obedientia iure diuino debea-*
„ *tur, quamdiu Reges sunt, aut pro Regibus agnoscuntur: sed in*
„ *eo vertitur cardo, vtrum ius diuinum postulet, vt qui semel ab*
„ *vniuersis Regni ordinibus pro Rege agnitus sit, pro non Rege*
„ *vnquam haberi nequeat, hoc est committere quicquam non pos-*
„ *sit, per quod iure suo excidat, & Rex salutari desinat.* Quod quidem responsum merum est Iesuitarum subterfugium: quorum delicatis auribus nimis truculentum sonant illa, Regem trucidari: atqui eundem Exregem reddi, ac tum demum occidi, iustum istud, ac salutare. Regem scilicet solio deiectum perimere, Regem perimere non est. Isthæc dum commentarijs consigno, non neminem in vinculis teneo, qui hæc dogmatum nouellorum monstra fouet animo, linguâque profiteri sustinet. Eandem profecto chordam pulsat Cardinalis; qui vult Regi obediri dum Rex est: Papæ autem Exregem faciendi concedit potestatem. Respondeo itaque hæc Sanctorum Pauli, Petrique oracula reuerâ nihil ad causam præsentem spectatura, si, quam iam excudit, nostra esset quæstio. Verùm is non est controuersiæ status, vtrum Rex quispiam quicquam possit patrare, cuius gratiâ iure suo excidat, vel pro Rege amplius non habeatur: sed de Papæ in Regibus deponendis potestate inter nos litigatur: cum tamen in eâ, quam iam de nouo fabricauit, quæstionis structurâ de Papâ verbum nullum: Licet enim in illud vterque nostrum consentiret, posse Regem electitium regno excidere, adhuc tamen hæreret nodus, vtrum Papam penes sit huiusmodi Regem deponere, ac, quod nonnunquam in eum contulerat,

lerat,

lerat, auferre; atque quo demum Scripturæ testimonio hanc sibi commissam potestatem demonstret Pontifex.

Atqui se strenuè protegit D^us Cardinalis regeritque, *Sicut præcipitur, vt omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta sit, ita etiam imperatum, Obedite præpositis vestris, & illis vos submittite: Pro animabus enim vestris inuigilant, vt rationem reddituri.* Hæc eius ratio rationis prorsus expers est, & contra ipsum militat. Prælatis enim obedire in promptu est citra Regum depositionem. Imo si secundum Euangelij mentem vox Prælatorum sonet, ad Regi rebellandum populus de suggesto sacro nunquam instigabitur. Quinetiam cum, in partes adeo discrepantes vniuersali hodie discedente Ecclesiâ, Prælati omnes idem inter se non sentiant, perquam difficile est vniuersis simul obedire, præsertim si Deo etiam parere meminerimus. Hoc denique aduersarij telum ipsi in iugulum sic retorqueo. Quemadmodum omnibus imperante Deo vt Regibus subiecti sint, non patitur tamen Cardinalis inde colligi, penes Reges esse Prælatos Ecclesiasticos gradu deijcere: ita cum iubeat Deus vt Prælatis dicto simus audientes, ego hinc sequi pernego, penes esse Prælatos Reges solio deturbare. In vtrisq; mutuum quoddam manet officium & obsequij, & imperij, quæ suis circumscripta finibus non se iugulant mutuò, sed iuuant amiceq; conspirant.

Pag. 71.

Cum iam a nobis steterit vniuersa Ecclesia primitiua, quæ pluribus sæculis sub Imperatoribus gemens infidelibus, hæreticis, persequutoribus, de rebellione, aut defectione ineundâ verbum nullum vnquam mutiuit,

nec fidelitatis Imperatori debitæ vinculo per quenquam mortalium liberata est: veteres tunc temporis Christianos fatetur Cardinalis ad fidem obedientiamque Imperatoribus præstandam mansisse obligatos, eò quod illos Ecclesia (Papę nomen puduit obtrudere) nondum iuramento dato absoluisset. Suaue vero somnium, vel iocularem potius ludum, cogitare penes Romæ Episcopum fuisse, Neronem, aut Claudium, aut Domitianum orbis Imperio deijcere, qui ne illud quidem, credo, nouerant, an Roma haberet Episcopum. Hosce autem Orbis terrarum Dominos adeo fuisse obesæ naris, vt proxima nequirent subodorari? adeo parum oculis & suis, & alienis vsos, vt hominem in ipsa Imperij matrice hospitantem ordinariâ legitimâque Imperij exuendi, induendi, transferendi potestate præditum nunquam persentiscerent? Habent profecto hi Imperatores, habent quo se tueantur, quòd Imperij Papalis serui cum essent, atque (vt loquitur hæc ætas) vasalli, se tamen in Pontificis famulitium, vt homines seruos decuit, non tum insinuârint: Illis scilicet prorsus ignotum erat vtrum in orbe vniuerso, ne dum in vrbe Romana, quid esset eiusmodi, quod officiosa posteritas peculiari Papæ nomine indigitauit, adornauit, adorauit. Etenim tunc temporis Episcopi Romani authoritate potentiâque pollebant, perinde ac vnus, aut alter ex hodiernis, quos in regnis meis videre est, Episcopis.

Verùm primitiui illi Papæ, suo sibi iure minimè vtendum censuerunt; erga perditos illos Imperatores se potius mansuetos, lentosque præbuerunt, idque tribus de causis quas sigillatim proponit D^us. Cardinalis.

Prima

Prima ratio in eo fundatur, quod non ausi sint Pontifices, ne Ecclesiam dirioribus vexandam persecutionibus propinarent, censuris huiusmodi emissis Imperatores lacessere, ac irritare. Mihi verò nisi iudicium infra nō Theologi modo, sed & plebeij Christiani modulum subsidat, facilè est probare ex huiusmodi assertione non Episcopos modò Rom. sed & omnes, qui antiquitùs CHRISTO nomen dederant, dissimulationis, ac perfidiæ palàm postulari. Tantundem enim est, ac si dixisset, eam, quam Principibus Christiani præstiterunt, obedientiam non ingenuam fuisse, ac liberam, sed simulatam, & coactam; vocésque sanctorum omnium Patrum supplices, fidei, humilitatis, patientiæ testes ac obsides, personata esse dicta, quæ non suggessit veritas, sed metus extorsit. Vnde etiam sequetur eorum cruciatus & supplicia internecina splendidis Martyrij titulis immeritò decorari, quorum patientiæ non electio vitam attulit, sed vim intulit necessitas: adeoque si tyrannos facto impetu non domuerint, potentiam, non voluntatem defuisse. Quam quidem ipsi olim à se depulerunt calumniam. Tertullianus in Apologetico, *Hesterni sumus, & omnia vestra impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, castra ipsa,* &c. *si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, proculdubio expauissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum & stuporem quendam quasi mortui, vrbes quæsissetis quibus imperaretis. Plures hostes vobis, quam ciues remansissent.* Cyprianus contra Demetrianum, *Nemo nostrum se aduersus iniustam violentiam vestram, quamuis nimius & copiosus noster sit populus, vlciscitur.* Sub Iuliano certè Christianismus vniuersum penè Imperium iam peruaserat; Eius

Tert. Apol. cap. 37.

Præfecti Ducésque erant Christiani, inprimis Iouinianus, & Valentinianus (postmodo ipsi Imperio potiti) quibus facilè erat Episcopum Romanum ad exauthorandum Imperatorem sollicitare. Tametsi enim vniuersus Iuliani exercitus fidem Christianam abnegasset (quod nobis suadere satagit Do^us^ Cardinalis, etiam reclamante eodem exercitu, qui, mortuo Iuliano, vocem illam vno omnes ore ediderunt *Christiani sumus*) cum tamen in fide persisteret Italia, & Iuliani cohortes apud Persas extremo Imperij Romani margine iam secubarent, satis commodam Episcopus Romanus tunc nactus est ansam potestatis huiusmodi, siquam haberet exerendæ, ac exercendæ. Addo etiam subitaneâ hac communique totius militiæ Augustæ confessione, qua se *Christianos* profitebantur, satis demonstrari, milites, si modò Ethnicismum fouerint, id inuitos compulsosque fecisse; vnde sequitur eisdem Iuliani depositionem minus grauatè ferendam, quàm si liberã ipsis indulsisset religionis optionem. Ne plura prosequar, S. Augustinus suo rem conficit testimonio, apertéque monstrat, militiam Iulianicam in fide Christianâ perseuerasse. *Milites*, inquit, *Christiani seruierunt Imperatori infideli. vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum qui in cælo erat. Quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum.* Quibus verbis statim annectuntur illa, quæ contra se prouocare audet Do^us^ Cardinalis, *Distinguebant Dominum æternum à domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiã domino temporali.* Hoc modo itaq; se gesserunt Christiani, vt Deo obtemperarent, non autem Imperatoris irritandi, aut persecutionis deuocandæ metu.

Socr. lib. 3. c. 19
Theodor. l. 4. c. 1
Sozomen. l. 6. c. 1

Aug. in Psal. 124.

Pag. 82.

metu. Quas quidem causas dum affingit Do^us Cardinalis, scholam aperit seditionis, subditosque, quoties viribus præualent, ad rebellandum instigat. Quod si exitu optato aberrauerit coniuratio, hinc tacitè præmonentur, non eo se peccasse, quod consilia inierint infida & proditoria, sed quod temporibus vsi sint alienis atque aduersis, nec copias suas satis attentè prius lustrauerint. His formata præceptis, his imbuta disciplinis ingenia desperata, quid mirum si puluerem nitratum spirent, sicamq; tractent parricidialem?

Dimisso Iuliano Valentinianum iuniorem aggreditur, quem Arianam impietatem etiam apertâ vi fouentem cum facilè poterant imperio submouere Christiani Orthodoxi, nil tale machinati sunt, aut vnquam cogitarunt. Pag. 82. Respondet Do^us Cardinalis, *eos recenti fratris patrisque memoriâ infirmâque filii iuuentute commotos seuerioribus consiliis abstinuisse.* Quæ quidem valdè infirmæ sunt coniecturæ, ac ad libitum excogitatæ. Illi enim erga Imperatorem non alio se modo gessissent, si patrem sortitus fuisset Arianum, ac annos sexaginta tunc numerasset. Subiungit populum ad seditionem spectasse, propositi adeo tenacem, vt turbarum metu cedere coactus sit Imperator, milites autem interminatos, se eum defensuros quamdiu Catholicorum partibus adhæreret. Quæ certè ad propositum nihil faciunt de Papali virgulâ in Regum exterminium depromendâ. Enimuerò arctissimum consequentiæ vinculum contemplemur. Valentinianus ad populi Mediolanensis tumultum expauit: Ergo Pontifex Romanus Reges hæreticos deponendi ius habet. Quantum distant Româ Mediolanum, à Populo Episcopus

ſcopus, tumultus inconditus à ſententiâ iudicatoriâ, factum à iure; tantum profectò à ratione abeſt hæc oratio, à conſequentiâ hæc ſententia. Hic itaque exemplo adhibendus erat Mediolanenſis, non populi furor effrenis, ſed Epiſcopi feruor recta ſuadentis: Ambroſij, ſcilicet, paſtoris optimi ea tum mens fuit, ea vox, vt ſe Martyrio offerret: tantum abſuit à plebe ad rebellionem concitandâ. *Si ſuo*, (inquit, narrante Theodoreto) *ad tyramidem abutatur imperio, en me morti ſubeundæ paratum.* Ac Imperatori quidē non aliter reſtitit quàm ſupplicando. *Rogamus* (inquit) *Auguſte, non pugnamus, Non timemus, ſed rogamus.* Item, *Si patrimonium petitur, inuadite: ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati eſt mihi.* Idem in oratione in Auxentium. *Dolere potero, potero flere, potero gemere aduerſus arma, milites, Gothos quoque lachrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.*

Epiſtol. lib. 5. Epiſt. 33.

Epiſtolar. lib. 5.

Iuſtinianus Imperator iam ſenex in Aphthartodocitarum hęreſin lapſus eſt: contra eum tamen, etiamſi perpaucos in hæreſi fautores ſortitum Epiſcopus Romanus nullam depoſitionis, interdictionis, aut excommunicationis ſententiam euibrauit.

In Italia Oſtrogothorum, in Hiſpaniâ Viſigothorum, in Africâ Vandalorum Reges Arianam omnes tuebantur impietatem, quidam etiam in Orthodoxos ſæuiebant. Quinetiam loco ſatis diſiuncti à Papa erant Viſigothj & Vandali, ne quid illorum crabronum rabiem metueret, ſi irritaret: nihilominus eorum neminem vnquam regno ſubmouendum cenſuit. Attendenda verò præcipuè ſunt tempora, cum in Africa Vandali, in Italia

Gothi, asperis diutinisque bellis à Narsete, & Belisario Orthodoxis attriti sunt: Ioui Romano tunc in regum istorum capita fulgurandum, & detonandum fuerat, tunc excutienda Arianis sceptra, tunc subditi rectè sentientes datæ fidei iugo dissoluendi, vt Catholicis hoc pacto subsidia accrescerent. Atqui eo certè sæculo tela huiusmodi Cyclopica incudem Pontificiam non obtuderant.

Gregorius I. se gloriatur Longobardorum, Romanos Episcopos acriter infestantium resque, spesque potuisse subuertere, sed Dei timore cohibitum: quod à nobis alibi est obseruatum: Eius verba in libri 7. Epistola 1. sic habent, ***Si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.*** Illorum saltem Regem regno priuare potuisset, nec vllo inde scelere se inquinasset, si D^um^ Cardinalem sequamur iudicem.

In Apologia pro iuramento fidelitatis.

Enimuerò quid hoc est aliud, quàm antiquissimos Romæ Episcopos crudelitatis insimulare, quòd Ecclesię sub tyrannis, quos scilicet loco deiicere poterant, laboranti opem debitam non attulerint? IESVMNE CHRISTVM credibile est in S. Petrum, eiusque successores munus quoddam transfudisse executionis incapax, atque intractabile? Illis in manum tradidisse gladium non nisi post mille annos euaginandum? Numquid iis demum sæculis, quæ Papas viderunt impurissimos, ac (quod fatentur, qui loquuntur molliùs, ipsorum asseclæ, ac assentatores) vitiis omnibus coöpertos, Officij Papalis vigor

ac neruus cœpit innotescere? Si enim metu, vel impotentiâ manum inhibuerint, cur Pontificum vnus saltem non producitur, qui se à potestate per IESVM CHRISTVM illi sedi traditâ exercendâ impediri olim conquestus sit? cur ex veteribus neminem laudat, qui Pontifici consultor, hortatorque fuerit, vt animos sibi sumeret, quantus ipse vir siet cogitaret, in Reges impios Ecclesiæque graues fulmina disploderet? Cur mitioribus Ecclesiæ temporibus, cum per Imperatores pietate & clementiâ insignes liberè liceret proloqui, rationes suas, quibus ab hoc telo intorquendo olim retracti sunt, non exposuerunt? Id certè inprimis curandum erat, ne, dum in vaginâ hic gladius tot sæculis delitesceret, rubiginem contraheret ita pertinacem, vt, cum vsus venerit, postea nequiret deuaginari: imò ipsa ex *non vsu præscriptio*, contra Ecclesiam Romanam curreret tot annorum centuriis decursis confirmata. Quod si his fulminibus obicem ponat, iustumque imperet silentium virium debilitas, vnde, quæso, euenit quod in Philippum Pulchrum, Ludouicum XII. Francorum Reges, ac, (vt alios omittam,) nuperrimè in decessorem meam fælicissimę memoriæ heroinam *Elisabetham* Pontifices brutum depositionis fulmen contorserint? In his certè virium imparitatem testata est experientia: Inde etiam plerumque bella, turbæ clades subsecutæ, quæ lege iustissimâ in authorum capita resultarunt. Quod antea in Gregorio VII. & Bonifacio VIII. Orbis vidit Christianus. Hinc profecto est, quod, ne suo se laqueo strangulet, Papa (qui consultior haberi velit) Regem præcipitem deturbare non prius conetur, quam eundem videat in lubrico

brico iam, ac decliui titubantem, intestinâ nempe factione iam confirmatâ, & Regi ipsi legem dicente, aut vicino aliquo Principe potentiore prædam sitiente, ac oculis emissitiis inuolandi ansam exquirente. Regem sic positum Papæ tam facilè est in malam rem detrudere, ac murum suffossis iam fundamentis ac columellis nutantem manu deiicere. Sin factiones obtriuerit Rex, hostesque conculcarit, en obuios à sancto Patre pacis sequestros, qui preteritorum ablutionem, absolutionemque etiam non roganti obtrudent. Tum quidem pro sua benignitate, quod eripere nequit, regnum illi permissurus, paternum Pontifex amorem atque indulgentiam in dilecti filij caput cumulabit, *Non modio neque trimodio, verùm ipso horreo.*

Ecce Oratores aderunt ex vrbe Latinâ Velati ramis oleæ, veniamque ferentes.

Quot viri illustres, egregijque Principes in supremos rerum Dominos sub Papa signifero coniurati, ac res nouas moliti aut vitâ, aut honore exciderunt? vt alios taceamus, exemplo sit Rodolphus ille Sueuiæ dux, qui, Papâ stimulos admouente, contra Imperatorem Henricum IV. etiam affinitate fratrem arma sumpsit, sibique Imperij sacra est ausus arrogare. Quantum inde insequutum præliorum, occidionum, atque deuastationum? Historias qui volet scrutetur, calculum subducat, præter vrbium obsidiones, ab Henrico IV. & Frederico I. sexagies aperto Marte pugnatum reperiet, iuri suo tuendo contra Imperij hostes à Papis concitatos. Sanguinis autem Christiani quantum bellis hisce Papalibus effusum est, nec modus, nec numerus capit. Propria vt reuisam, annon Papa, metas etiam suas transgressus, cum suorum

in regno meo copias debiles esse probè nouerit, eos nihilominus ad rebellandum contra me tacitè instigat? quid enim aliud facit, cum, ne fidelitatis sacramento mihi adhæreant, interdicit? Quo quidem facto filiorum suorum capitibus, quantum in se est, supplicia, &, quam vocat, persecutionis procellam sciens, volensque deuocat, ac suis proscribendis publicas quasi tabulas suffigit. Vniuersa hæc, adeoque singula exempla fidem faciunt, Papas à Regum Imperatorumque depositione, quoties huiusmodi fulminationibus se crescere posse sperarent, non ideo abstinuisse, quod persecutiones, turbas, cædes ea occasione essent inuecturi.

Denique penes quosuis præiudicio imbutos, imò ipsos aduersarios esto iudicium, numnon hâc doctrinâ, quę subiectionem Regibus Infidelibus, aut hæreticis eousq; præstandam imperat, donec ad eos deponendos, aut exigendos vires suppetierint, Turcici Imperatores, reliquiq; Reges à Christianismo alieni moneantur, vt omnes sub ipsorum ditionibus degentes Christianos prorsus exterminent, ciues nempe perniciosos, ac rebellandi opportunitatem captantes, nec aliâ parendi lege obstrictos, quàm necessitate, ac metu, pessimo custode diuturnitatis. Hęc itaque celebri illa Hosij Imperatorem Constantium Arianum per epistolam alloquentis sententiâ tandem concludamus. *Quemadmodum qui tuum imperium occultis conatibus inuadit, contradicit diuinæ ordinationi; ita & tu caue, ne quæ Ecclesiæ sunt ad te trahens, magno crimini fias obnoxius.* Vbi sanctus ille Episcopus hanc, quam ingerit Cardinalis, exceptionem oblitus est intertexere, nempe saluo semper Ecclesiæ iure viribus semel præualentis, ac iugi Imperialis

Apud Athanasium in epistola ad solitariam vitam agentes.

perialis excutiendi nactæ opportunitatem. Nec verò de priuatis tantùm loquitur, aut certâ hominum conditione, sed normam vniuersalem, ac simplicem omnibus præscribit; ne maiestatem Imperatoriam quocunque prætextu eant imminutum.

Vt hæc, quam excussimus, ratio a debilitate petita perquàm debilis est, ita eidem congener, quæ secundo loco sequitur, apud D^um Cardinalem. In qua statuit *im-* Pag.77. Ratio 2.
mani inter se spatio distare illinc Paganos Imperatores, qui Christo nunquam nomen dederunt, nec a subditis suis ea lege recepti sunt, vt imperio Christi se semper subijciant, nec sacramento interposito aut inito contractu mutuo sunt obligati; hinc Principes Christianos, per Apostasiam degenerantes, ac Arianismum, aut Mahumetismum amplectentes. De his, quasi pactum Sacramentumque ineuntibus iuramento illi, a quo regnum auspicati sunt, contrarium, & religionem Catholicam infestantibus, posse regnis submoueri asserit: per quem autem submouendi sint, non adjicit; Papam semper subinnuere intelligendus. De Regibus autem, in quos stupiditatis, matrimonij violati, aut beneficiorum Ecclesiasticorum perperàm collatorum prætextu Pontifices intonuerunt, Childerico, Philippo I. & Philippo Pulchro verbum nullum; ne si vllam in partem eloqueretur, aut hinc Papæ, aut illinc auditorum offensionem incurreret.

Hanc dum adducit rationem, palàm testatur Papam in Rege deponendo Ecclesiæ commodo incolumitatique parùm studere. Nec enim minùs Ecclesiæ obest Princeps, qui nunquam non fuerit Infidelis, religionisque deuastator, quàm qui olim Christianam pietatem

 amplexus

amplexus est. Quod autem ad sceleris grauitatem attinet, non ita multùm interesse videtur. Rex enim is, qui nulla se religione Christo obstrinxit, non minus obligatur, quàm si Sacramento huiusmodi se deuouisset. Non secus ac filius in patrem rebellis æquè peccat, iuratus, an iniuratus ad præstandam patri obedientiam. Eo quod hæc obligatio fundetur non in pacto voluntario, sed natiuà lege, quasique publico Naturæ Sacramento. Mandatum de osculando filio, quem Pater Re-
Psal. 2. gem Regum constituit, omnes ex æquo obligat Reges tam Ethnicos, quàm Christianos. Ex altera parte Constantium Imperatorem quis neget Imperium auspicantem solenni iuramento suscepto vouisse se fidem Orthodoxam protecturum, ac ea interposita conditione Cæsarem a patre declaratum. Episcopus tamen Romanus hunc Imperatorem solio non depulit, sed contra hic Episcopum Romanum cathedrâ. Quod si iuramenti in Regiâ consecratione præstiti violatio causam ministret solidam Regi apostatico, vel hæretico per Papam deponendo, sequetur etiam eum Regem a Papa similiter deponendum, qui, cùm nec Apostasiâ laboret, nec hæresi, iustitiæ interim officijs desit, nec populo ad amussim iura dispenset: quæ pars est Regij Sacramenti non minima. Hoc tamen a Cardinale Sancto Patri non conceditur, cui ille nouas scilicet leges ausus est præscribere, ac *potestatis plenitudinem* ripis quibusdam, atque aggeribus coercere; id solummodo largitus, vt Reges deponere possit Christianos, fidei Catholicæ desertores, non item Paganos, qui Christo nunquam militarunt. Oblitus interim Regi Attabalibæ regnum Peruanum

per Pontificem nuper erectum & Hispaniarum Regi dono datum: cum tamen nec misellus ille Rex Ethnicam vnquam exuisset superstitionem; nec istiusmodi exhæredatio terrena viam illi strauerit ad cœlestem hereditatem. Quinetiam a Cardinale paulò post docemur, *Quantumcunque diutinâ possessione Turcicæ inueterauerint victoriæ, quibus Christianorum sedes inuaserunt, nullo tamen temporis tractu posse Turcarum Imperatorem contra Christianos de minimo terræ digitulo præscribere.* Quasi dixerit Turcam semper esse malæ fidei possessorem, adeoque iure optimo posse deponi: cum tamen Imperatores Turcici nunquam fuerint Christiani. Quod si Regum illorum, ad quos deponendos Papæ surrexerunt, exempla percurramus, vix vnum reperiemus, qui Sacramentum inerit illi, quo se IESV CHRISTO obstrinxit, Sacramento contrarium, aut qui in Apostasiam sese præcipitauerit.

Ac certè singula accuratiùs pensitanti falsum illud esseconstabit, Franciæ Regem a suis recipi, eâ conditione, vt IESV CHRISTO seruiat, cum iam Rex fuerit antequam consecratus, ac priusquam subditis suis quicquam pollicitus sit, aut stipulatus. Illud enim fixum stat, immotumque, in Regno hæreditario nullum esse Interregno locum, sed ex ipsa, non tam Regis, quàm hominis morte continuò proximum hæredem regno, cui non adsciscitur, sed adnascitur, inuestiri. Nihil autem agit, qui responsat Reges hæreditario iure succedentes sub maiorum, siue decessorum suorum personâ iusiurandum huiusmodi olim præstitisse. Iuramenta quippe iurantium sunt propria, ac, vt loquuntur, personalia: neque

que mortalium quiſpiam pro filio ſuo, aut hærede ſponſionem poteſt apud Deum interponere, quòd futurus ſit vir probus, pius, aut frugis bonæ. Poterit quidem pater polliceri, idque ſolenniter, ſe filio aut hæredi deſignato nulla ex parte defuturum monendo, ac pro viribus cohortando, vt Deum timeat, ſtudeatque pietati. Parentum iuramentis, ſi a pietatis officijs dimanauerint, obligantur filij, ſiue iurati, ſiue iniurati: ijſdem, ſi modo impia fuerint, contrauenire tenentur. Quod ſi circa res medias verſentur, ac pro varia rerum inclinatione vel pernicioſa, vel præſtitu haudquaquam poſſibilia euentu comprobentur, penes eſt Regum hæredes, ac ſucceſſores leges ſuas temporibus, præſentique reip. vtilitati prudenter accommodare.

Hæc dum accuratius cogito, non dubito certè quin D^no Cardinali ignota prorſus ſit illius Sacramenti mens ac ſententia, quo ſe Rex Francorum in ſolenni inauguratione obſtringit ad Eccleſiam protegendam, ac fidem Catholicam conſtanter retinendam. Quid enim inconſultius, quam exiſtimare Clodouæum poſtquam annos quindecim regnaſſet Ethnicus, iam baptiſmi lauacro tinctum ea lege factum Chriſtianum, vt, ſi quando à fide deficeret, per Eccleſiam regno ſpoliaretur? Si verò quicquam de regno amittendo fuiſſet ſtipulatus, ſemper ſubintellexiſſet hanc ſui exauthorationem, non à Pontifice Romano, ſed ab ijs, per quos in ſolium euectus eſt, expectandam. Atqui, vt quod res eſt eloquamur, Franciæ Regibus non eſt in more poſitum, vt huiuſmodi vllum iuſiurandum, pactum, aut ſtipulationem cum ſubditis ſuis ineant. Quod ſi quis Regum vſpiam

am iuramento, aut ſolenni ſponſione vtatur, conceptis verbis huiuſmodi, *Eſto dies ille mihi regni ſimul & vitæ vltimus, haud abnuo, quo religioni Chriſtianæ primùm abrenunciauero.* Deum quidem hac voce vindicem appellat, caputque ſuum diris deuouet: ſceptrum autem hoc pacto nec Papæ, nec Eccleſiæ, nec populo ſubmittit.

Quod autem ad nummorum inſcriptiones attinet, quas obiter perſtringit Do^us Cardinalis, exaratum Chriſti nomen nec percuſſæ monetæ conditionem mutat, nec ſua Regem mulctat dignitate. Documento quidem eſſe poteſt hic character ſubditis, ſe, dum Regi debitam præſtant obedientiam, ipſi Chriſto obſequi, eos autem, quibus hæc ſacra nomina viſum eſt nummis ſuis inſcribere, IESVM CHRISTVM pro ſupremo omnium Rege agnoſcere: non autem profitetur ab Eccleſiâ pendere diadema Regium, aut per Pontificem Romanum poſſe auferri: quod nobis ſuadere conatus D^nus Cardinalis, ſed detortis prorſus, inuerſiſque Domini Saluatoris verbis: qui imagine inſcriptioneque monetariâ citra omnem ambagem vſus eſt ad comprobandam Cæſaris, non ſubiectionem, ſed intemeratam maieſtatem. Quod ſi Princeps huiuſmodi ſupremus Deo ſe perduellem perfidumque præſtiterit: eo ipſo certè meruit, vt eum Deus a vitæ æternæ ſpe excludat: hinc autem nec Papæ, nec populo regni ciuilis abrogandi poteſtas vllo iure porrigitur.

Illud etiam a D^no Cardinale ſubiungitur, *Eos qui Papæ tribuunt Regum deponendorum facultatem, mandatum illud Sancti Pauli, quo omnis anima ſuperioribus poteſtatibus ſubijcitur, ita interpretari, vt nil aliud ſonet, quàm cautionem* „ „ „ „

„ *temporibus affabricatam, eousque duraturam, dum, coalitis Ec-*
„ *clesiæ viribus, penes esset fideles, citra rei Christianæ con-*
„ *cussionem, obsistere, ac sibi cauere, ne Reges alios reciperent,*
„ *quam Christianos, secundum illam Deuteronomij legem. Tibi*
„ *Regem constitues vnum de fratribus tuis.* En autem egre-
giam, cui innituntur rationem. *Sanctus Paulus* 1. *Cor.*6.
„ *ait pudori esse Christianis, quòd in litibus, quæ inter eos inter-*
„ *cesserant, iudicium subirent Infidelium. Cui incommodo etiam*
„ *lege postea cauerat Iustinianus, cum statueret nullum neque*
„ *Ethnicum, neque hæreticum ad reip. administrationem admit-*
„ *tendum.*

In hac Cardinalis argumentatione, animaduertenda inprimis vox illa *recipiendi*, quâ controuersiæ statum leui declinatione dextrè, callidèque immutauit: cum inter nos non agatur de Rege recipiendo, stabiliendo, aut eligendo (quod in Regnis electitijs solet euenire) sed de obsequio illi Regi exhibendo, quem iam stabiliuit Deus, ac successionis hæreditariæ quasi manu traditum commendauit. Neque enim Franciæ populo, qualis nunc dierum est, illud imperatum, *Tu tibi Regem constitues.* Iamdudum est scilicet cum hoc ab eorum suffragijs pendere desierit. Ita ad rem æque hic facit locus, ac lex illa Iustinianea. Illud enim libenter concedimus, inprimis curandum Principi Christiano, ne iustitiæ procuratio Prætoribus Ethnicis committatur. Verùm hìc de magistratu agitur, non subordinato, sed supremo, nec de Præfecto per liberam Principis optionem designando, sed de libero, suique iuris Principe, quem natura porrexit, ac successio obsignauit. De hoc quæritur, num Papa, quem non constituit, possit destituere,

tuere, num illud, quod nunquam contulerat, auferre; idque huiuſmodi aliquo prætextu: obiecto nempe vel hæreſeos crimine, vel ſtupiditatis morbo, vel quòd Cœnobij alicuius priuilegia concuſſerit, vel denique quòd matrimonij leges ac ſepta perruperit.

Hoc autem Apoſtoli præceptum, quo omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubjicitur, non temporibus famulari, ſed eodem tenore vigere, ac perennare inde conſtat, quia rationibus ſuperſtruitur ſuâ naturâ conſtantibus, ac nulli non temporum ſtatui neceſſarijs. Nempe quia *poteſtates a Deo ſunt ordinatæ.* Quia *illis reſiſtere eſt diuinæ reſiſtere ordinationi.* Quia *magiſtratus vindictæ cauſâ gladium geſtat.* Quia *neceſſariò illi obediendum, non ſolum propter iram* (hoc eſt ſupplicij metu) *ſed etiam propter conſcientiam.* In conſcientiæ ergo radicibus hæc fundatur obedientia, non in prudentiæ humanæ ſuperficie ad varias temporum inclinationes fluctuante. Oracula Apoſtolica, quæ moribus deſtinantur informandis, nouos colores non induunt ad dubios inconſtantium ſæculorum aſpectus, nec pro Mundi vetuſtate conſeneſcunt. Qui id ſemel conceſſerit, peſtes duas inuehit teterrimas. Si enim homini liberum ſit mandata diuina pro cautionibus habere prouiſorijs, cuiuis impietati valuæ aperientur, ac ſacrarum Scripturarum ſuſdeque vertetur authoritas. Alterum incommodum quod Martyrum antiquiſſimorum victimæ non viuæ, ac rationales, ſed ſtupidæ ac demortuæ, ipſique cruciatus martyrij nomine prorſus indigni ſint iudicandi, eorum ſcilicet, qui magiſtratus Ethnici violentiæ non ideo ceſſerint, vt Dei mandato neceſſario, certoque obtemperarent; ſed vt re-

gulæ plumbeæ, temporibus inſidianti ſe acclinarent. Hinc eſt quod tabulam hanc ſuam Do[nus] Peronius probabili colore non potuerit incruſtare, niſi Scripturas nouis aſſumentis interpolaret: cum nempe ſcribat, Paulum Corinthijs dicere *pudori, vel opprobrio Chriſtianis eſſe, ſi ab Infidelibus iudicentur.* Cuiuſmodi nihil eo in loco habetur. Cum enim Sanctus Paulus dicat πρὸς ἐντροπὴν λέγω, *In pudorem veſtrum hæc dico*, non ait fideli turpe eſſe, ſi ab Infideli iudicetur: Sed illis pudorem incutit, quod inter ſe litigantes ad Iudicum Infidelium tribunalia fratres ſuos protraherent. Non quod iugum, cui eos ſubdiderat Deus, ſubirent Chriſtiani, ſed quòd litium gurgitibus ſe mutuò deglutirent, ac in Eccleſiæ ſcandalum Chriſtianorum lapſus, atque infamiam Infidelibus propinarent, hoc Sanctus Apoſtolus pudori ac opprobrio habuit. Hic ergo aduerſarium teneo, ac poſtulo manifeſtæ falſitatis. Quod ſi Rex in hæreſin impingens diademate exui mereatur, quid ni etiam Cardinalis in ſacroſanctis Dei oraculis ludens, galero ſpoliari?

Quàm graui interim præiudicio, periculoque inuoluat hæc doctrina omnes, qui ſub hæreticis aut Infidelibus degunt, Chriſtianos, lector æquus iudicato. Si enim Turcarum Imperatori innotuerit, a Chriſtianis ſuę ditioni ſubiectis diuinum de pręſtandâ Principibus, quos pro Infidelibus habent, obedientiâ mandatũ iuſſionis tantum prouiſoriæ vim obtinere, ac plane teſſeram eſſe, qua excitentur, vt omnes auidè captent ſeruitutis depellendę occaſiones, certè vniuerſum, quem aliquatenus fouet, Chriſtianorũ gregem ſimul ac ſemel duceret exterminãdum. Hic quoq; ſi repetamus, quod ex Cardinale ſuprà deſump-

desumpsimus, nō posse Turcam in deuictos Christianos vllo temporum circuitu vnum saltem præscriptionis digitum acquirere, reperiemus ab illo moneri Turcicum Imperatorem, ne subditis suis, quos magno numero habet, Christianis, diuini quicquam, aut humani credat, docerique, vt omni tormentorum genere in eosdem crudelissimè sæuiat. En misselli, qui Græciam, Syriamque incolunt, Christiani quantum Cardinali debent Romanensi! Ac me quidem quod attinet, subditosque è meis Pontificios, quibus ego hæreticus sum scilicet; annon hic nouæ disciplinæ magister stimulos admouet inuito, &, quantum in se est, exacuit, vt mansuetudinem seueritate commutem, hoc est, mores meos naturamque exuam, asperiores induam, dum illos docet ne aliâ se mihi subdant lege, quam prouidę cuiusdam cautelæ retinaculo, cui semper adsit insidiosa mei prodendi, perdendiq; expectatio? Præsertim cum Turcas, infideles, & hæreticos in eâdem naui collocet, imò hæreticos (quos vocat) duriore loco habeat, vt oppidò nequiores, ac longè iustiùs depositionis fustem, imò fulmen expectantes, vtpote qui sacramenti olim præstiti religionem violauerint. En quibus tandem Rex Christianus accipior modis! Infidelibus, vt causâ par, adnumeror: imò (lentum hoc nimis) vt reatu fœdior, ac intestabilior: regnorum denique, quibus me præfecit Deus, prædo, vsurpatorque audio, cui obsequelam tantùm coactam exhibere fas sit, eamque non perpetuo vinculo firmatam, sed cautionis aucupio illaqueandam, donec iugi ceruicibus amoliendi, ac coronæ Regiæ huic capiti auellendæ, adeoque (quod nunquam non subsequitur) hoc pectore spiritum

exturbandi opportunitas emerſerit.

Quod ad expeditiones militares à Francis, Anglis, ac Germanis ſuſceptas recuperandis Hieroſolymis; ſi euentu conſilia metiamur, haud videntur quidem adeo gratæ Deo, atque acceptæ. Id profectò apertè conſtat Papam hoc Belli ſacri telo ad manum paratiſſimo ſibi prouidiſſe de Regnis Chriſtianis ſuo nutui ſubiugandis. Vnuſquiſque enim (vt cum illo ſæculo loquar) *Cruce-ſignatus*, ſiue Francus, ſiue Anglus, ſeu Germanus, nihil erat horum, ſed merus Papæ aſſecla. Latronum, adulterorum, ſicariorum, obæratorum quicquid erat, quod votum de ſalutando Oriente ſuſceperat, ac ſcapulas cruce diſtinxerat, continuò extra brachij ſæcularis ambitum proſiliit, ac in Curiæ Eccleſiaſticæ amplexum ſe proiecit. Ita eo ſæculo ad Papæ arbitrium integræ regiones nunc nobilitatis flore, nunc fortiſſima populi pube ſunt orbatæ, tot legionibus ad quid aliud emiſſis, niſi vt Saracenorum gladio mortem oppeterent, nec ſibi, nec aliis inde profuturi? Eo ſæculo redacta ad paupertatem Nobilitas Eccleſiaſticis vili vendere latifundia ſua cogebatur. Vnde mirum in modum auctæ res Eccleſiæ, ſacrique fundi, partem benè magnam, acquiſiti. Eo deniq; ſæculo munificentiſſimi Papæ cuiuis bipedi, qui Terram ſanctam cogitaret, liberè condonarunt in hac vitâ peccatorum omnium *Indulgentiam Plenariam*, in futurâ gloriæ gradum altiorem, ſupraque plebeias Paradiſi ſellas eminentem. His vt addamus Colophonem, ego certè fortitudinẽ, virtutéſque bellicas & laudo, & magnifacio; ſed ea lege, vt iuſtitiæ ancillentur, eâque cautione, vt ne magnanimos, generoſoſque ſpiritus pietatis vmbrâ captos

captos artes Italicæ circumueniant.

Ad alia vt transeamus, videte mihi, quæso, in tota hac dissertatione Do^{ni} Cardinalis prudentiam, qui parcè adeo, modicèque Scripturarum testimonia quædam selecta tantùm, ac percolata contentus est delibare: abire iussis interim totis nobilium testium cohortibus, a quorum stemmate Papæ ipsi, ipsorumque pugiles Pontificiæ omnipotentiæ quasi natales soliti deducere. En horum cateruam longo ordine incedentem. Dixit Christo Petrus, *Ecce duo gladij. Respondit Iesus, satis est. Dixit Petro Christus, Mitte gladium tuum in vaginam tuam.* Dixit Deus Ieremiæ, *Ego te constitui super gentes, ac Regna.* Sanctus Paulus ait, *Hominem spiritualem dijudicare omnia.* Ipse Iesus Apostolos affatus, *Quicquid* (inquit) *vos solueritis &c.* Ergo penes Papam est iuratæ fidelitatis religionem soluere. *In principio creauit Deus cœlum, ac terram*: Quibus locis Bonifacius VIII. contra Philippum Pulchrum Galliæ Regem, in arenam descendens, suam in temporalibus superstruit potestatem. *Extrauag. Vnam Sanctam.* *Alij* similes euocant triarios suos. Christi de se vocem, *Omnia mihi data sunt a Patre. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Item Dæmonum ad Christum: *Si nos ejcias foras, immitte nos in porcorum gregem.* Christi ad discipulos: *Inuenietis pullum asinæ ligatum: soluite eum, ac ad me adducite.* Cum scilicet his monstretur Christum de temporalibus disposuisse, cur non itidem Christi vicarius? quæ sequuntur valdè sunt opposita. Psal. 45. *Loco parentum erunt filij tui: præficies eos Principes in tota terra.* Item Iesus Christus Petro non solum in mandatis dedit, *vt pasceret oues*, sed etiam *Surge*, dixit, *macta, & manduca.*

(quam

(quam lepidam certè glossam D^{no} Baronio debet Sanctus Pater) Iohannis 12. scriptum est, *Cum exaltatus fuero, omnia post me traham.* Quid impedit quò minus hoc Papæ conueniat ? Sanctus Paulus Corinthijs, *An nescitis quòd Angelos iudicabimus, quanto magis res sæculi ?* Et paulò post : *Annon habemus potestatem edendi?* Isthæc, in quę tribus abhinc, vel quatuor sæculis monarchia Papæ temporalis incubuit, fundamenta vsurpare non est ausus Do^{us} Cardinalis, ne auditoribus risum commoueret. Ac id prudenter quidem, si, quæ Genio haud magis propitio attigit, a leprario, scabieque manum abstinuisset.

Age verò committamus inter se Christum Cæsari tributum soluentem ; ac Papam a Cæsare tributa exigentem. Christum Iudæis, vt Imperatori Ethnico vectigal pendant, suadentem : Papam subditos ab obedientiâ Principibus Christianis præstandâ soluentem. Christum inter duos priuatos hæreditatis herciscundę arbitrium a se amouentem : Papam deponendis Regibus, se pro iudice absoluto ingerentem. Christum apertè profitentem Regnum suum non esse de hoc mundo : Papam in mundana Imperia sibi ius arrogantem. Apostolos ab Imperatoribus extrema passos ; ac Papam pede nunc Imperatorijs ceruicibus insultantem, nunc coronas Imperiales conculcantem. His ob oculos positis, haud difficile est conijcere, a Cardinale in Domini sui gratiam Scripturas iocularitet contrectatas, vt Iesu Christo potius illuderet, quàm sanis imbueret præceptis auditores. Quod quidem ipse non obscurè subinnuere videtur, cum ad Papalem de deponendis Regibus astruendam potestatem, a se conglobatis Scripturarum,

turarum, Doctorumque modernorum testimonijs, hanc tamen fateatur nec Scripturæ oraculis, nec antiquitatis calculo vnquam decisam esse controuersiam. Quod quid est aliud, quàm, quæ prius pluribus contexere visus est, vna voculâ dissuere, & conscientiæ obloquentis luctam, turbellasque prodere? Pag. 85.

Vnicus hìc Cardinali adhuc hærere videtur scrupulus, quem sic euellere satagit. *Partis* (inquit) *negatiuæ assertores ad processus Ecclesiastici analogiam confugiunt: allegantque propter hæresin dominos, siue possessores plebeios bonis suis non excidere, ideò multò minùs supremos Principes dignitatibus suis.* His respondentes inducit Regum abactores. *Legum contra hæreticos sancitarum in Franciæ Regno executionem pacis, tranquillitatisque publicæ fouendæ gratiâ inhiberi.* Alibi, *Conniueri ait propter eorum multitudinem, eo quòd Gallicanæ gentis partem faciant non contemnendam.* Ego profectò hoc ab eius humanitate profectum dixerim, quòd eos, quos hæreticos deputat, quid sint expectaturi præmonitos velit, cum legum de ijs acriùs statuentium exequutionem tantùm suspendi asserat. Quippe suspensiones non nisi ad tempus solent obtinere. Quo quidem in negotio polliceor mihi, honoratissimum fratrem meum Francorum Regem alijs vsurum consultoribus, ac cùm vicinorum amicitias beneuolè culturum, tùm regni inprimis sui tranquillitatem studiosè tutaturum: vt qui probe meminerit, ab huiusmodi ciuibus, vtcunque de religione idem cum ipso haud sentientibus, Patri illi suo (de cuius gloriâ nulla vnquam ætas conticescet) Sceptrum Franciæ esse conseruatum: Id etiam seriò cogitaturum, esse eos lon-

Pag. 84.

gè dissimiles subditis meis Romano-Catholicis, qui vitæ meæ insidiantur, qui externo famulantur domino, cui solenne est, emissis epistolis bullatis, hos suos (imo meos) a fidelitatis iuramento mihi præstando reuocare: qui denique (si quid habeant ponderis, quæ in celebri hoc conuentu Parisiensi in Papæ gratiam promulgata sunt, atque defensa) me pro Rege parùm legitimo habere necesse habent. Edocti iam scilicet, præceptum Apostolicum de subiectione potestatibus suæ religioni aduersantibus exhibendâ iussionem esse prouisoriam, temporis aucupem, iugo insidiantem excutiendo. Quos tamen ego clemẽter mollitèrq; tracto, erroréq; hunc adeo perniciosum, cum reuera læsam Maiestatem sonet, animi impotentis morbum appellare & cupio, & soleo. Præterea frater idem meus huic Cardinali Gallicano quot nominibus obligetur, etiam atque etiam cogitabit. Cum enim reformatæ religionis professores apertè, liberèque prædicent, se, secundùm Deum, Regum suorum prudentiæ, ac benignitati eam debere, quâ fruuntur, incolumitatem: en hic Præsulem, qui hanc ijs fiduciam conatur eximere, ac eos sine ambagibus docet salutis suæ securitatisque neruos in partium multitudine ponere, seque ideo tutos existimare, quod rerum nouarum metum possint incutere.

Obiter notandum Romanam Ecclesiam hic sectam appellari.

Subiungit D[us] Cardinalis: *Si inter Francos secta tertia emergeret, eius sequaces bonis, adeoque vitâ ipsâ mulctatum iri.*
" *Quemadmodum Geneuæ Seruetus, & in Anglia Ariani*
" *vltimo luerunt supplicio.* Ego verò respondeò, hæreticorum rite atque ordine damnatorum pœnas non a Papali placito, sed a politici Magistratus, qui loco præest,

decreto

decreto pendere. Addo insuper, ab eo contra omne ius, & fas Serueto, & Arianis quasi consortes apponi Ecclesias reformatas. Illi etenim hæretici verbi diuini gladio transfossi sunt, ac a Concilijs antiquis vniuersalibus, vbi causam ipsi suam egerant, damnati. Contrà autem ea, quam hæ mecum profitentur, religio a nullo vnquam, in quo pars vtraque audita est, Concilio est explosa. Quod si qua nupera nobis obtrusa sit Synodus, eiusmodi certè fuit, quæ Papam, qui pars est, iudicandusque venit, iudicem admisit: eum sortita locum, a quo saluus, quem vocant, conductus, liberque egressus non erat expectandus: ijs denique conflata suffragatoribus, quibus pietas est in nostrorum capitibus ludere, infamemque, qua dudum Iohannes Hus, & Hieronymus Pragensis proditi perditique sunt, perfidiam imitari: quosque hoc non pudet impietatis arcanum profiteri: fidem hæreticis datam non esse seruandam.

Vt igitur ad rem redeamus, cum adhuc in neminem de plebe Gallicanâ propter prætensæ hæreseos crimen aggressus sit Papa confiscationis sententiam, quæ fundos, aut ruta cæsa prædæ exponeret, cur quæso Reges audet Regnis suis spoliare? cur in Reges diriora molitur, quàm in priuatæ sortis, infimique subsellij homunciones? cur sacra Regum capita tristiùs vapulant, quàm de vulgo abiectissima? Instar legitimi ad hæc responsi D^us Cardinalis, extra oleas euagatus, exempla repræsentat hæreticorum, non Papæ, sed ciuili magistratui pœnas persoluentium. Quanto liberiùs cordatiùsque Bellarminus, qui disertis verbis statuit, Papam penes esse de rebus totius Mundi temporalibus disponere. *Secu-*

Contra Barclaium cap. 27. *rus* (inquit) *affirmo, potuiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum tempore mortalitatis ſuæ diſponere de temporalibus omnibus: & Reges, ac Principes Regnis, dominiјſque priuare. Et hanc poteſtatem Vicario ſuo ſine dubio conceßiſſe, vt eâ vtatur, quando neceſſarium iudicauerit ad animarum ſalutem.* Ita omnino nihil excipit. Notum enim eſt, penes Ieſum Chriſtum fuiſſe æquè de priuatorum poſſeſſionibus, ac de regnis integris pro arbitrio ſtatuere, ſi modo hanc expromere poteſtatem, eâque vti viſum fuiſſet. Eandem ergo Papa, ſcilicet ex aſſe hæres, ſortitus eſt. Concilium Lateranenſe vltimum blaſphemantem laicum nobilem Ducatis mulctat primâ vice quinis-vicenis, ſecundâ quinquagenis. Id nempe quaſi conceſſum arrogauit, poſſe ſuo iure Eccleſiam plebeia pertundere marſupia, ac de eorum bonis ſortem iacere. Concilium Tridentinum eâdem licentiâ etiam iura ſuffodit hæreditaria: *Imperatores, Reges, Duces, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo, ciuitatis, caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſiâ obtinent, priuari. Et ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquiri. Qui vero pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, omnium bonorum proſcriptionis pœnam incurrere.* Quæ dum ſatis pro imperio, etiam contra Imperium decernit, neceſſe habet præſupponere, penes eſſe Eccleſiam de vniuerſis Chriſtianorum fundis ac feudis pro arbitrio ſtatuere, cum ad hoc exemplum omne feudi genus, ſiue ab Eccleſia, ſeu a domino ſæculari pendens, huic auferre, in hunc transferre, ac priuatorum bona fiſco poſſit applicare. Si me audiet, a duellis cauebit ſibi Regnum Neapolitanum, vtpote Ro-

Seſſ. 9.

Seſſ. 25. cap. 19.

manæ

manæ ſedı feudatarium; adeoque vnico publicitùs permiſſo duello in ſacri Piſcatoris ſagenam liquidò illapſurum. Neque vero fundus, aut area eſt vlla ſoli Gallicani, quam hiſce artibus non poſſit Romanus Pontifex de manu in manum ad nouos ſubinde dominos transferre. Melius itaque ſibi conſuluiſſet D^us^ Cardinalis, ſi, omiſſis, quas rimatus eſt, ſubterfugiorum latebris, apertè ſtatuiſſet, Papæ adeſſe plenam de priuatis poſſeſſionibus æquè ac Regnis diſponendi facultatem. Neque enim rationi conſonum eſt Pontifici ius arrogare in rem integram, in partes non item, in ſyluam totam, non item in ſingulas arbores, in domum vniuerſam, non tamen in triclinium, aut cœnaculum.

Aliam ſuperaddit rationem farinæ haud melioris. *Multum* (inquit) *intereſt inter poteſtatem, quam in bona ſua* » *domini priuati, & eam, quam in reſpublicas nacti ſunt Reges.* » *Bona enim ſunt propter dominum poßidentem, Principes au-* » *tem propter populum.* Me verò iudice, ſi hæc valeat argu- » mentatio ad probandum, poſſe propter hæreſin regno ſuo Regem priuari, non autem virum plebeium domicilio ſuo, pariter ſequetur, poſſe ob hæreſeos crimen patrem omni in liberos poteſtate excidere, non item bonis ſuis Dominum. cum bona ſint propter poſſidentes, pater autem filiorum ſuorum bono promouendo deſtinetur. Quinetiam Reges certum eſt ſolijs ſuis longe immobiliùs affixos, propter conſtantem Dei, quem repræſentant, imaginem, quam priuatos quoſpiam patrimonijs ſuis, quæ leuiculis de cauſis ab alio in alium quotidiè transferri videmus: cum rex regno ſuo exui nequeat ſiue graui totius communitatis luxatione, quæ

 priuatos

priuatos innnumeros vnâ inuoluit ruinâ, non ſecus ac humiliora arbuſta quercu ingenti decuſsâ conteruntur. Quod ſi quid neruorum huic ineſſet argumento, illud vnâ eſſet addendum, Regem non regno ſolum, ſed & bonis fundiſque certis, quos *Dominicos* appellant, dotari; quorum gratiâ nemo Regem creatum dixerit: hi tamen cum ſceptro vnà ſemper amittendi. Si denique largiamur quicquam hæc valere ad Reges faciliùs, quàm priuatos ſorte ſua deiiciendos, non tamen inde ſequitur, huiuſmodi depoſitionem à Papæ virgulâ petendam; qui, quod non dedit, cur conetur auferre?

En verô argutam, quam inter priuatas poſſeſſiones „ Regnumque ponit, differentiam. ***Bona*** (inquit) ***inanima*** „ ***ſunt, nec vi, nec exemplo, nec hortatu dominorum ſuorum indu-*** „ ***ci poſſunt ad vitam æternam amittendam.*** Mihi autem contra videtur dominus, aut paterfamilias hæreticus maiorem habere & poteſtatem, & opportunitatem ad ſeruos, aut liberos hæreſi ſua imbuendos, quàm Rex ad ſubditos ſuos huiuſmodi contagione vitiandos. Nec tamen religionis causâ liberi parentibus, aut ſerui dominis auferuntur. Turgent quidem hiſtoriæ exemplis florentiſſimarum Eccleſiarum ſub aduerſæ religionis Principibus degentium. Quod ſi haud ægrè concedendum ſit, vt in hæretici poteſtate maneant res inanimatæ, habeat, quæſo, ſua ſibi Rex hæreticus coronam, terras, tributa, vectigalia, ipſam denique rerum adminiſtrationem, quæ ſingula nemo, niſi rationis expers, negauerit animæ vitæque eſſe expertia. Imò ſuus ſibi gladius hac lege reddatur furioſo citra incommodum, qui acie quidem valet, ſed non oculorum, acumine, ſed non ingenij. Reſpondeo

ſpondeo itaque periculoſius videri ac pernicioſius, poſſeſſori impio atque effræni rerum ratione expertium vſum atque imperium permittere. Quòd eæ intellectu iudicioque minimè polleant, quo ſe peruerſis eximant officiis, ac impia pati iuſſa reformident. A Principe quidem hæretico non leue fateor ſubditorum animis periculum ingruere. Verùm damna non ſunt grauiori incommodo reſarcienda. Errorum morbis peſſimum perfidia medicamentum, hæreſi periurium, impietati ſeditio, ac in Deum Regemque armata rebellio. Qui Eccleſiam his ſæpe exercet, ac repurgat modis, Deus non opus habet ad gregem ſuum protegendum à perfidorum Chriſtianorum conatibus proditoriis opem emendicare. Fuit olim, eritque Dei Eccleſia rubo ſimilis ardenti. In mediis perſequutionum flammis rutilabit illa, non ruet, conſummabitur, non conſumetur: quia Deum habet in medio ſui aſſeſſorem, aſſertoremque. Quod ſi demum Francis vlla cauſa porrigi poſſit iuſta in Regem ſuum rebellandi, haud ſequetur tamen, huiuſmodi motus Romani Pontificis flabello eſſe concitandos, cui illud neutiquam incumbit, vt ſe negotiis exterorum politicis immiſceat, ac regnis ſuſque deque obturbandis claſſicum canat.

Hæ medullæ ſunt, hi lacerti Cardinalitiæ de ſecundo, quod obtendit, incommodo, diſſertationis; quam hâc perplexâ viſum ei eſt claudere, ſeu cōfeſſione, ſeu cōceſſione. Hanc nec Scripturarū oraculis, nec Eccleſiæ veteris calculo quęſtionem eſſe enodatam. Mirari ſe itaq; quòd eo audaciæ proruperint Laici, vt ex controuerſo dogmate nouum fidei articulum excudere conati ſint. Hoc *probroſum*

„ *ſum* clamat eſſe, *hoc ſcandali plenum, hinc Eccleſiæ cancellos ef-*
„ *fringi, hac omnes demum facto agmine hæreſes intromitti.* Ego autẽ ex aduerſo illi occino, hoc opprobrio potiùs habendum, hoc ſcandalo, hoc atrociſſimo perduellionis crimini imputandum, audere ſubditum beneficiorum cumulo non leui oneratum; tenerâ Regis ſui ætate adhuc herbeſcente; patris laudatiſſimi, à recenti parricidio, cruore nondum abſterſo, vix dum deferueſcente; in geminas Galliâ iam geſtiente nuptias, ſibique Hiſpaniam & toris, & thronis copulante, palàm in conuentu totius floris Gallicani celeberrimo, ſubditum audere Regis dominique ſui ſceptrum virgulæ, caput ferulæ ſubiicere, ac de eiuſdem deponendi cauſis neſcio quibus argutari? vt illud interim taceam, quòd iam ſenex non modò ætati omni anteactæ quaſi in os dicat contumeliam, ſed etiam voce ſe ſua in diuerbium propinet, cognomen reportaturus *Martyris problematici*: quippe qui ſe palo, flammiſque victimam deuouerit, tuendo cuidam dogmati, quod ipſe non niſi problematicè, hoc eſt, ſummis digitis timidè attrectat, ac de quo, per Papam, Francis licet partem tueri Papali iudicio repugnantem, dummodo quaſi primoribus labris vltrò citróque reciprocent, vt problematicum quiddam, ac vagum, non mordicus teneant, vt certum, ac neceſſarium.

IN-

INCOMMODI TERTII PENSITATIO.

TErtium, quod ex articuli illius plebeij receptione oriturum causatur D[us] Peronius, incommodum, est *inuehendum schisma apertum, atque ineuitabile, quo à Papa, & reliquo Ecclesiæ corpore vniuerso discederetur. Ea enim, quam cum reliquâ Ecclesiâ Papa iamdiu comprobauit, ratámque habuit, doctrina pro impiâ ac detestabili iam damnaretur: adeóque Pontificem, Ecclesiámque in fide, rebusque ad salutem spectantibus errare crederetur.* Huic telę suæ attexit etiam luculentas contra schismata, schismaticosque tragicarum exaggerationum phaleras.

Enimuerò quid hoc est aliud, quàm Panicos incutere terrores, ac lupum, quod aiunt, pingere Cerbero truculentiorem? Toto certè cælo errat noster Cardinalis, si à Francis sceptrum Regium ad pedes Pontificios prouoluere detrectantibus reliquas credat nationes sese seperaturas, ac ab eorum (quod in genuino schismate fieri solet) communione omni, commercioque se subtracturas. Hâc ipsâ in palestrâ contra sanctum Patrem pia tamen filia Illustrissima Venetorum Respub. certamen decertauit, ac, vt quod res est loquar, planè victrix palmam reportauit. Neque verò eapropter eorundem cum regionibus vicinis Sacramentorum Communione Veneti abstinuerunt, nec à reliquâ Ecclesiâ Romanâ schismatico iam distant diuortio. Ipse noster Peronius, cum contra tyrannidis Papalis impetus Regiæ dignitatis arcem non ita pridem propugnaret, non ideo reliquas credo Ecclesias,

ſias, pro ſchiſmaticis habuit, membriſque putridis Antichriſti. Neque verò ipſe linearum ſuarum decempedator optimus Papa in huiſce dogmatis aſſertores omnes aperti ſchiſmatis fabam cudit. Quî enim poteſt, cum (quod poſtmodo nos edocebit D^us Cardinalis) Francis liberam concedat poteſtatem vtramuis huiuſce quęſtionis partem conſectandi, adeóque à ſe in fidei capite diſſentiendi. Pontificum Romanorum dextra ac deliciũ audit Rex Hiſpaniæ, qui tamen nunquam quicquam aut facti admiſit, aut pacti tranſegit, quo ſe in cauſis hęreſeos, tyrannidis, aut ſtupiditatis à D^no Papa regnis ſuis poſſe depelli agnoſceret. Neque certè hunc illi viſum eſt mouere lapidem, cum probè ſciat non tam ſibi Papam, quàm ſe Papæ eſſe terriculo. Interim verò Baronij Cardinalis librum (in quo regnum Neopolitanum regni titulis ſpoliatur, Regi Hiſpano non vt proprietario, ſed vt depoſitario aſcribitur, ac Eccleſiæ Romanæ in feudum vindicatur) damnare, ac ditionibus ſuis explodere non dubitauit. Hanc placidè vorauit contumeliam ſanctus Pater, nec filium ſuum, vtvt fortè audaculum, ac à ſe pluſquam problematicè hac in parte diſſentientem, vllâ ſchiſmatis labeculâ dehoneſtauit: Illi inurendo ſtigmati nempe commodiora expectat tempora, cum inteſtinis fortè diſſidiis laborante Hiſpaniâ, ſine ſuo periculo Regem ſolido pulſare poterit infortunio. Ipſi denique D^no Peronio haud ita inſalutatus eſt Orbis Chriſtianus, vt neſciat pleroſque in Hiſpaniâ, imò in mediâ Româ liberos rerum æſtimatores, quoties de commentitio iſthoc Papali in ſceptra Regia dominio garritur, aut frendere, vt ad rem indignam, aut ridere, vt lepidam; iam

potiſſi-

potiſſimùm poſtquam lite hac cum Venetis conteſtatâ Pontifex foro ceſſerit, causâque ceciderit.

Videtur igitur otio abundaſſe, qui de Schiſmatis Gorgone horribili tantas excitauit tragœdias. Chriſti non tunicam, ſed corpus, quæ eſt Eccleſia, diſcerpere, membratimque diſſecare quanti ſit piaculi nemo certè eſt neſcius: verùm vbi huic monſtro nec locus, nec color, ibi quid attinet inanes Quiritando terrores incutere.

En autem alterum huiuſce belluæ cornu longè formidoloſius, meram hæreſin. *Hic* (inquit D[us] Cardinalis) Pag. 89.
articulus in hæreſin nos præcipitat manifeſtam, eo quòd cogat »
credere à multis ſæculis toto orbe exulaſſe Eccleſiam Catholicam. »
Si enim, qui partem huic articulo oppoſitam tuentur, opinionem »
foueant verbo Dei repugnantem, impiam, ac deteſtabilem, Papa »
certè per complura ſæcula, non Eccleſiæ caput, ſed hoſtis, hære- »
ticus, adeóq; ipſe Antichriſtus habendus eſſet. Addit inſuper »
ex eo ſequi, *Eccleſiam Catholicæ cognomento excidiſſe, nec in-* »
ter Francos iamdiu ſedem, aut pedem fixiſſe; cum per multa re- »
tro ſæcula Gallicani Doctores vniuerſi contrariam ſententiam »
defenſitârint. Non poſſe hæreticis trophæum illuſtrius etiam »
noſtris ipſorum manibus erigi, quàm ſi regnum Chriſti viſi- »
bile de terris periiſſe concedamus, ac tam longo temporum tra- »
ctu nullum Dei templum, nullam Chriſti ſponſam extitiſſe, »
ſed vbique terrarum regnum Antichriſti, ſynagogam Satanæ »
diaboli ſponſam inualuiſſe, atque omnia peruaſiſſe fateamur. »
Non poſſe denique firmiores optari, aptariq; machinas ad tran- »
ſubſtantiationis, auricularis confeſſionis, aliaſque dogmatum »
huiuſmodi arces demoliendas, quàm ſi quis largiatur, Eccleſiam »
abſque legitimâ authoritate de iis ſtatuiſſe, &c.

Toto hoc argumentationis filo videtur profectò mihi

D^us. Cardinalis lora quædam ſatis tenacia contexuiſſe, quibus Roma Mater vapularet, ac ſua ipſius religio infamaretur. Quippe valde debilem, vacillantemque oportet eius Eccleſiæ eſſe ſtructuram, quæ ſemel admiſſo hoc, de quo quæritur, articulo, ſtatim corruit, ac in Diabolicæ Synagogæ puluerem computreſcit. Regibus autem hâc incude pulchella ſors extunditur, ſi Domini ſupremi atque inuiolabiles haberi non poſſint, niſi peſſum eat Eccleſia, nec a Papæ tyrannide liberari, niſi, cui ſeruiunt, Papa Antichriſtus renuncietur. Ipſe, ſi probè excutiatur, hæc, quæ voce, ac calamo conſignauit, non credit Cardinalis. Etenim apertè fatetur hanc nec diuinis oraculis, nec veteris Eccleſiæ iudicio deciſam eſſe quæſtionem: ac Francis quibuſdam eam à Papa indultam opinandi licentiam, vt hac in parte contra ipſum Pontificem ſentiant, modô ſententiam ſuam vagâ problematis leuitate emolliant, non neceſſitatis clauo obfirment. Papæ! Numquid Papam non eſſe Antichriſtum, Eccleſiam Romanam non eſſe Satanæ Synagogam firmamento innititur adeo vago, & labili, nec Scripturis fundato, nec antiquitate ſtabilito; quodque opinionis problematicæ vento, etiam bonâ cum Papæ veniâ, poſſit agitari? Supra quidem oſtendimus, quàm dominio huic Papali in Reges arrogato non ſolum ſacra; quæ parui forte penditur, pagina, ac veneranda antiquitatis canities reclamârit, ſed & Eccleſia Gallicana, etiam ſub ipſo Pontificij tumoris æſtuantis quaſi plenilunio, animosè ſemper reſtiterit, nec tamen ideo toto orbe euanuiſſe Eccleſiam ſuſpicata. Enimuero qui Papam fidei myſterijs præficiunt, hac tamen in causâ ad fidem

fidem eius responsis absolutè præstandam se minimè putant obligatos: eam quippe non inter sacra Christianorum dogmata recensent, sed Imperij arcanis annumerant, quibus Monarchiæ suæ temporalis fastigium tanquam columnis superstruit Romanus Pontifex. Quē extra sphæræ suæ cancellos vagantem, nemo vnquam mortalium credidit promissi vllius diuini affluxu ab errore lapsuque immunem conseruari. Etenim in cathedram illam sublimem irrepere quidem non posse errorem contendunt; at irruere posse ambitionem concedunt: adeoque in re Pontifici supra modum compendiosâ, quæ eum Regum Regem statuit, sceptrorumque diribitorem, ipse vt iudex sedeat, ipse de se, pro se sententiam ferat, nec fas, nec æquum esse. Quid multa? Valde profecto stupida huic oratori exquirenda sunt ingenia, quibus nullam non dogmatis imaginem imprimat, suadeatque, quotquot Pontificem in Regnis Mundi temporalibus disponendis Christo solidum esse hæredem denegauerint, à regno cœlesti exhæredes esse vniuersos.

En verò, quod longe nequius. Ab ijs, quos per opprobrium hæreticos indigitat, videtur mihi certè conductus, ex aduersario vt fieret derepente patronus: illorum quidem commodo iam præuaricatus, cum, posito semel hoc articulo, tolli funditus clamet placentariam illam incarnationem, ac clancularíam confessionem. Agite, rationem eius audiamus, imo amplectamur. Quia scilicet harum vtraque, non aliâ, quàm Papale hoc in Reges dominium, fundetur authoritate. Hoc autem de Papali virgulâ censoriâ postulatum non è Scripturæ fontibus

tibus naſci, non ex antiquioris Eccleſiæ riuulis delibari, ſed ex nouitiorum Pontificum, Conciliorumque ciſternis hauriri non obſcurè confitetur. Hinc recto quidem pergit gradu, ſtatuitque, & hoc, & illas eidem ſolo inſiſtere, eodem motu conquaſſari. Concedit itaque μετουσίας portentum ac coactæ confeſſionis Sacramentum altis natalibus genus ſuum non deducere, Scripturis ac antiquitati prorſus nihil debere. Neque enim quæ profundioribus inhærent radicibus, ad nouitèr adſtructorum vacillationem ſolent contremiſcere. Hoc autem vſus argumento D^us Cardinalis non poſſe videtur mihi non cenſeri quædam eius diſciplinæ veſtigia etiamnum retinere, quâ a patre olim ſuo imbutus eſt adoleſcens *Miniſtro* (quod honoris causâ tacuiſſe nollem) *Euangelico.*

Parum interea candidè cum iis agit, quos hæreticos vocat, dum illis impingit, quaſi pro inuiſibili in terris Eccleſiâ nimis poteruè litigent, vt in eius latebris tanquam lucifugæ deliteſcant. Quod quidem a vero abeſt quàm longiſſimè: cum illi Eccleſiam Chriſti ſemper viſibilem haud illubenter agnoſcant. Quamuis enim electorum cætus quandam conſtituat familiam oculis humanis haud vſurpandam, nos tamen firmiter credimus, apertèque profitemur Eccleſiam in terris nunquam non fuiſſe viſibilem. Verum iis, qui eius pars ſunt, intuendam. Ab aliis conſpiciuntur fortè, vt homines, non vt veræ Eccleſiæ membra. Nec me authore quiſquam negauerit, vniuerſalem Eccleſiam viſibilem ex pluribus Eccleſiis particularibus eſſe conflatam, quarum aliæ aliis ſunt defæcatiores: ſemper autem contingere

tingere, vt quæ, purior eſt, ſit etiam amplior, magiſque conſpicua, id conſtanter pernegamus.

QVARTI ET VLTIMI INCOMMODI TRVTINATIO.

INcommodo vltimo explicando anteambulonem præmittit, vitæ quandam ſuæ anteactæ, officiorumque a ſe erga Henricos III. & IIII. præſtitorum commemorationem. De Regum horum poſteriore ita gloriabundus, *Ego* (inquit) *eum ad religionem reduxi Catholicam, per Dei gratiam, vel potius Dei gratiâ per me. Ego Romæ a Papa Clemente VIII. eius abſolutionem impetraui, eumque Sanctæ ſedi reconciliaui.* Quod ad horum euentuum primum attinet, illam animi Regij mutationem nimis conſtat aliis adſcribendam rationibus, quàm quæ ex placitis peti ſolent Theologicis, aut ex D^ni^ Perronij ſuadelâ, vel cuiuſquã Rhetoris officinâ depromi vnquam potuerunt. Perplexa illa tempora, turbulentæ reip. tempeſtates, difficiles, quibus iam tum Rex premebatur, anguſtiæ, hi oratores, hi authores, vt a vitæ prioris inſtitutis cultuque diſcederet. Poſtquam vero mutatâ velificatione portus Romanos appellere ſtatuiſſet, quid mirum, ſi, quod in eiuſmodi negotijs vſitatum eſt, externis ritibus concinnandis, ſe Epiſcopo, aut Confeſſario Romanenſi dederit effingendum. Quod autem illam attinet, quam a Papa ſe ait obtinuiſſe, abſolutionem: hominem certè Cardinalem decuiſſet, ſi honori vel Regio, vel Gallicano, vel demum ſuo conſultum voluiſſet, eam æterno

potiùs

potiùs silentio ac obliuione sepeliisse. In hac enim reconciliationis seu pugnâ, siue pompâ nemini obscurum est, quàm fœdè, abiectèque Regis sui dignitatem prostituerit; qui (quod in Apologiæ meæ præfatione breuiter attigi) Regis ipsius personam, sortemque repræsentans, locupletis scilicet pœnitentiæ debitor, scipione scapulis luit, cernuusque vapulauit. Quas quidem plagas Papa Clemens pro clementiâ suâ abundè compensaturus, Cardinalem nostrum, Episcopum tunc Ebroicensem, granis benedictis, crucellis, laminisque sacro emblemate consignatis ditatum dimisit. Eos scilicet thesauros quicunque mortalium summo osculo contigerit, spondeto animæ suæ indubitatam sæculum integrum longam peccatorum indulgentiam. Enimuero concinnis hisce crepundiis non modo ipsi vapulanti omnes continuò lachrymæ abstersæ, sed Rex Henricus alienâ cute luens, ingens sibi, solidumq; solatium posteà exsecrat. Illud autem quo ore D^us Cardinalis arrogat sibi, Regis absolutionem se a Pontifice impetrasse? Id enim non multo priùs sollicitè tentârat Dux ille Niuernensis, eâque gratiâ beatorum pedum oscula supplex expetiuerat: sed, quòd tunc temporis videbantur res Henrici deploratæ, re infectâ domum rediјt. Quamprimùm autem Papæ innotuisset, reuiuiscere fortunas Regias, ciuitates Galliæ munitissimas ad eum admittendum spectare, confœderationis, quam sacram appellarunt, neruos iam languescere, tum demum opportunè suggerit Sancto Patri Spiritus Sanctus, vt in Ecclesiæ gemium ouem errantem reciperet. Nec iniuriâ. Non enim e re sua fore censebat, vt proteruo ac difficili supercilio

Gal-

Gallorum patientiam irritaret, ac pertinaci ſeueritate ad id, quod antea ſæpius ſe facturos interminati ſunt, adigeret, vt, nempe Papâ valere iuſſo, domeſticum Eccleſiæ Gallicanæ Patriarcham præficerent. Quod ſi ſinus ſuos excutere, ſeque ſerio interrogare vellet D[us] Cardinalis, reſpondebit legationis ſuæ exitum ſibi, antequam Romam inuiſurus pedem domo efferret, ſatis fuiſſe exploratum.

Conciliatâ demùm per hanc ſuam præfatiunculam audientiâ, ad rem redit, itque demonſtratum, hoc Plebeij Ordinis Conſulto ambigua cum conceſſis confundente, remedium omne, quod Regibus periclitantibus inde afferre conatur, irritum reddi, atque infructuoſum. Rationem neruoſam ſubiicit, quod parricidiis impediendis ſacro opus ſit anathemate, ac pœnarum à morte inualeſcentium terroribus; quibus vt par reuerentia, ac inconcuſſa adhibeatur fides, à certa authoritate, fallique neſciâ irrogari eaſdem oportere. Neminem verò hac poſſe muniri certitudine, ſi in hoc anathemate certis exploratiſque admiſceantur controuerſa, ea nempe, de quibus ab Eccleſia Catholica non eſt vbique conſenſum. Rei certæ, miniméque conteſtatæ nomine intelligit Regicidij prohibitionem; controuerſis autem aſcribit poteſtatis ad Reges deponendos Pontificiæ abnegationem.

Totâ hâc verborum congerie probatur nihil, nihil diſputatur, ſolummodo quiddam conſilij porrigitur. Ad quod reſpondeo. Si in hoc Tertij Ordinis Articulo quicquam ſit, de quo inter omnes haud conuenit, Papis, Papicoliſque aſſentatoribus acceptam referendam hanc hęſitationem: A quibus cum natiuæ rerum certitudini

quædam obductæ ſint nubeculæ, publicæ incumbit authoritati ſuam veritati lucem, firmitudinémque reſtituere. Iis autem, quæ per ſe haud obſcura, à nonnullis citra rationem in dubium vocantur, optimus certitudinis reſarciendæ modus eſt, ſi aliis eiuſdem materiæ propoſitionibus indubitatis, atque conceſſis conſocientur.

Nec verò hic poſſum lectorum iudicia conſcientiaſque non appellare, vt ſubſiſtant aliquantulum, mecumque veritas quàm valida ac inuicta ſit, etiam atq; etiam cogitent. Fatetur nimirum, ſaltem tacitè, D[us] Cardinalis bina hæc quæſita, Vtrum Reges licitè poſſint trucidari; Vtrum à Papa deponi; adeo eſſe ſibi inuicem connexa, atque complicata, vt, qui de altero dubitauerit, alterum etiam in quæſtionem vocet. Quibus verbis mihi videtur ad ipſam teterrimæ, quâ hæc laborant ſæcula, peſtis ſcaturiginem intendere digitum, verumque Regicidij fontem aperire. Etenim quicunque crediderit Papam penes non eſſe Reges ſolio detrudere, pari etiam fiducia credet, non licere in eorundem vitas inuolare. Cui enim niſi ſancto Patri gratificaturi ſacrum hauriunt ſanguinem ſceleſti Regicidæ? Cui niſi Capitolino numini hæ immolantur victimæ? Hoc itaque non modò inconcuſſis principiis, ſed & oraculis annumerandum, Non poſſe, ſi vitam Regum ſaluam velimus, concedi Papæ ius eoſdem ſolio deponendi. His etiam ſuffragantur ea quæ apud D[um] Cardinalem ſubſequuntur, *Quod ſi*
» *illa hominum monſtra, furiæque infernales, à quibus duorum*
» *Regum proximorum viſcera transfoſſa ſunt, leges vnquam le-*
» *giſſent Eccleſiaſticas, à Concilio Conſtantienſi diſertis ſe ver-*
» *bis æterno ſupplicio adiudicatos reperiſſent.* Hac nempe voce

Cardinalitiâ non tam monſtra illa, quæ execrari videtur, quam ipſe, quem colere ac reuereri cupit, Papa apertè damnatur; qui, feruente nuper bellis ciuilibus Galliâ, ac omnia turbis, cædibuſq; miſcente ſacri Fœderis furore, leges has Eccleſiaſticas, quarum aculeis parricidarum retunderetur audacia, Orbi Chriſtiano iam tum non inculcauit; ſed contrà prorſus triſulca ſua fulmina eſt eiaculatus, quorum diſploſione, vt ad prædam transfixam canis, ita ad Henrici III. lanienam, ſacer ille ſicarius è Clauſtri latibulis eſt euocatus. Quinetiam Clerus ipſe Gallicanus eodem reatu implicâtur, qui, cùm ea tempora flagitarent, vt leges illas Eccleſiaſticas populo intra officij metas cohibendo ſtrenuè promulgarent, de his obmutuerunt, nec id ſolùm, ſed ipſas contentionum, ſeditionumque faces de ſuggeſto concionatorio palàm vibrarunt; ac quoties in ſacerdotum aures populus confitebundus turbidos peccatorum ſuorum fluctus effuderat, in populi aures viciſſim ſacerdotes vndas ſanguinis refuderunt, quo ex fonte ille bellorum torrens, horrendumque Regis illius parricidium emanauit.

Enimuerò aureas illas Sanctiones Eccleſiaſticas Regicidij auerruncas propius intueamur. Legum inſtar omnium, Regum excubitorem, ſicariorum malleum nobis in manum porrigit D^us Cardinalis Synodum Conſtantienſem: quæ, ſi excutiatur, pro Regum ſalute parum facit, neque verò rem noſtram ad viuum reſecat. Ipſum hiſtoriæ caput, commentarijs relictis Peronicis, è monumentorum tabulis breuiter placet repetere. Iohannes Burgundionum Dux, poſtquam Ludouicum Aureliæ Ducem in Pariſiorum vrbe trucidari curaſſet,

huic cædi palàm defendendæ Magiſtellum quendam cognomento *Paruum* ſubmiſit futurum huic facto patronum, à quo in Academia Pariſienſi diſcutiendæ nouem Propoſitiones promulgatæ ſunt. Earum hæc ſumma, atque ſententia. Cuiuis ſubdito aut priuato ius, faſq; imò laudi fore, ſi tyrannum contra Regem ſuum res nouas molientem vi, dolo, aut quacunque ratione è medio ſuſtulerit: adeoque hunc ciuis perfidi, hoſtiſque publici interfectorem à Rege prœmijs ornandum. Propoſitionis primæ hic ſtylus, *Licitum eſt vnicuique ſubdito abſque quocunque præcepto, vel mandato, ſecundùm leges naturalem, moralem, & diuinam occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, ſortilegium, aut malum ingenium machinatur contra ſalutem corporalem Regis ſui, & ſuperiorum, pro auferendo ſibi ſuam nobiliſſimam & altiſsimam dominationem.* In Propoſitione tertia, *Licitum eſt vnicuiq; ſubdito, honorabile, & meritorium occidere, vel occidi facere ſupranominatum tyrannum, proditorem, & infidelem ſuo Regi.* Denique in ſextâ, *Rex debet præmiare, vel remunerare illum, qui occidit modo, qui dictus eſt, vel occidi fecit tyrannum ſupranominatum.* Has Iohannis Parui aſſertiones vt impias, ac in Eccleſiæ ſcandalum pronas Synodus damnauit Conſtantienſis. Cum autem nemini dubium ſit à dicto Concilio Tyranni nomen eodem ſenſu intellectum, quo à Iohanne Paruo eſt vſurpatum; ſequetur ſanè hanc fuiſſe illi Concilio mentem, vt eum diris deroueret, non qui Regem liberum, aut abſolutum Principem trucidaret, ſed qui ſubditum fortè è primoribus vnum Regi ſuo rebellem, ac peſtem patriæ molientem obtruncaret. Illud enim in ſe ſuſceperat Iohannes, vt

Gerſon.

Ducem

Ducem Aurelianensem iure cæsum tueretur; quem licet minimè supremum suæ ditionis dominûm, sed sceptri Gallicani clientem, tyranni nomine designauit. Ita scilicet si quis Patrum Constantiensium sensus intimos fuerit rimatus, facilè deprehendet, eorum decretis Regum incolumitatem non confirmatam, sed concussam, non communitam, sed comminutam. vtpote prohibentibus, ne priuatus quispiam subditum in Regis ac domini sui caput nefaria ineuntem consilia è medio tollere audeat.

Verum concedamus a Concilio Constantiensi contra Regum percussores his diris esse fulminatum. Hoc enim mihi prorsus persuadeo, si de liberorum ac independentium Principum vitâ temerandâ orta tunc fuisset quæstio, ab illis Episcopis responsum sanum piumq; fuisse exiturum. Hoc, inquam, si largiamur, quid inde Regibus præsidij? vt nunc sunt sæcula, quod inde frænũ parricidis? Dirarum capitalium vinculis innodantur? Ex officinâ Iesuiticâ oleum ijs suppeditat Do[us] Cardinalis, quo vbi se perfuderint, statim anguillæ fiunt; elabuntur. Reatus damnationisque catenâ grauantur? Ex armamentario Iesuitico limam ijs porrigit in manum noster Cardinalis, quâ crassas atterant compedes, & fugiant. Reges scilicet (en oraculum) tantisper pro Regibus habendi, dum tales sunt, nec iure suo exciderunt. Si igitur in eos sacrę disciplinę magister virgam vibrauerit, si flagello plagosus insonuerit, imò intonuerit hic Orbilius, iam non sunt amplius Reges, iure suo exciderunt, ne pilum quidem habent reliquum natiuæ maiestatis. Hos trucidare non est Reges lædere, vnctos manu sacrilegâ

crilegâ tangere, Dei vicarios conculcare : ſed vmbras, laruas, ac nuda nomina verberare. Ita hi ſorices de muſcipula ludunt, ac plane capti dentibus tamen exitum moliuntur.

Interea deprehendet, credo, lector dolum hunc impensè improbum, ac prodigioſum, quo Regibus os ſublinit D^us Cardinalis, dum eorum ſaluti adminicula exquirere videtur. Regicidia clamat ſacris Eccleſiæ oraculis prohiberi. Ad hanc vocem aures arrigimus, ac Regum capitibus protegendis Scripturæ diuinæ paginas ore Cardinalitio citandas expectamus. Ita ſcilicet maiori cum authoritate, ac pondere loquentem lubentiùs audiemus. En vero, huiuſce nectaris loco, conuiuis frigidum apponit decretum e recenti Concilio deprompum, nec alio quàm Conſtantienſi : quod quidem Pontificio ſordet palato, Papiſq; putidi ſchiſmatis nauteam olet: quod nec crudum, nec coctum præſentem controuerſiam ſapit: quod denique, ſi rei medullam acu tangeret, Cardinalitiâ manu furcam diſtinctionis bicornem protendente protinus eluderetur. Via vix vlla compendioſior ad prauam opinionem ſtabiliendam, quàm ſi argumentis inualidis, ac ridiculis impetatur; nec ad veram doctrinam concutiendam, quàm ſi ratiunculis ſtramineis, ineptiſque teſtimoniis ſufflaminetur. Sic Plato animas inde probat eſſe immortales, quod *olores cantillent morituri.* Sic Scripturis non nemo fidem ideo vult adhiberi, quòd Papa iis authoritatem conciliauerit. His certè paria ſunt illa firmamenta, quibus Do^nus Cardinalis Regum vitam incolumitatemque ſuſpendit.

Plato in Phædone.

Haud

Haud absimili artificio præ se fert, detestari se, ac Orco deuouere Regum trucidationes, eos interim per depositionis callem rectâ ducit ad lanienam. Illud enim extra omnem dubitationem ponendum, Regem a Papa exauthoratum nihil non tentaturum, vt se, suamque tueatur dignitatem, omnibus se præsidiis, copijsque muniturum, quibus subditos rebelles per Papam fidelitatis nexu exolutos in officij gyrum reuocet, atque compescat. Hac in rerum perturbatione factionumque fluctibus Rex quibus non obsidetur periculis? capite suo belli aleam subit, proditorum insidijs patet, totam denique fortunæ procellam odijs, telisque obuius sustinet. Neq; enim aliud expectari potest, quàm vt Rex recte atque ordine (vt videtur) regno exutus, si gubernaculum nolit deserere, pro Tyranno, ac vsurpatore habeatur, ac inde vita eius proscriptioni, prædæque exponatur, cum leges publicæ cuiuis permittant priuato in Regni vsurpatorem insurgere. *In reos Maiestatis, & publicos hostes omnis homo miles est*: inquit Tertullianus. Regi eripe Regis legitimi titulum, vitæ custodem illi aufers satellitibus quibusuis, ac stipatoribus firmiorem: quos quidem haud difficulter peruaserit proiectæ audaciæ sicarius, vitæ iam Dominus alienæ, quia contempsit suam. Qui igitur eâ in Reges pietate sunt, vt eos vitâ exturbari nolint, solio velint; ita se comparant, ac si dicerent, Regem ne occidamus, sed, vt malè pereat, exarmemus. Regi vitam haudquaquam eripiamus, sed media vitæ tuendæ necessaria. Regem ne iugulemus, dum manet Rex; hoc impium, hoc sacrilegum, hoc ipso sono horrendum. Sed cautè, prudenterque regnum ei tanquam vestem detrahamus:

Apolog. cap. 2.

hamus: ita nudatum qui transfoderit, non poterit esse Regicida. Hæc de Rege breuiter dicta sunto, qui post Papalem depositionis sententiam armis se, iusque suum propugnat.

Quod si finem optatum Papalis censura sortiatur, si Rex reipsa Exrex, solioque extorris deuenerit, fieri vix posse reor, vt, qui regnum non potuerit, vitam possit suam sartam tectam conseruare. Non est Regibus, non est a natura inditum, quod felibus, vt de loco excelso in terram deiecti pedites semper cadant, illæsique abeant. Imperatoribus, Regibusue paucissimis datum, vt suo superuiuerent imperio. In thronum regalem clemens ascensus datur, scalâ gradibusue paulatim increscens. De fastigio non est quâ descendatur: cliuo ruitur præcipiti. Qui reip. nauem, excusso gubernatore, inuadit, non satis se tutum putat, si, dum ipse ad gubernaculum sedeat, veterem Palinurum per foros cursitantem videat, vel sub transtris captiuum habeat, potius in imos fluctus demittendum clamabit in Thetidos sinu dormiturum. Si qui autem regno exuti percussoris manum effugerint, ij profecto aut exules profugique inter ignotos ignobiles nunc errarunt, nunc latuerunt, aut domi æternùm carceribus mancipati vitam traduxerunt quauis morte funestiorem. Dionysius Syracusanus regno pulsus Corinthi Scholam aperuit, ac pueros docuit: eo nempe vitæ genere delecto, vt quadam regni imagine se oblectaret. Hic solus, credo, inter mortales occurrit, cui post regnum ereptum ridendi animus erat, fortunæque suæ priori iocularitér illudendi. In regno hoc meo Anglicano complures solio excussi sunt,

Edouardus,

Edouardus, Richardusque II. ac Henricus VI. qui omnes in carcerum latibulis crudelissimè sunt trucidati. Regnante Edouardo III. publicis omnium Ordinum decretis perduelles declarati sunt, maiestatisq; rei, quicũq; Regis mortẽ vel facto machinarẽtur, vel (qui legis stylus) cogitatione efformarent. Qua lege freti Iudices Angliæ consultissimi proditores deinceps pronunciârunt, quotquot de Rege deponẽdo consilia inirent, vel etiam semel mussitarent. Id enim optimè perspectũ habuerunt, non posse Regem sceptro, nisi simul vitâ etiam, spoliari.

In re igitur seriâ ludit Do^us Cardinalis cum dicat, *In Regum subditis ab obedientiæ vinculo soluendis Ecclesiam se non nisi in foro Ecclesiastico intermiscere; ac præter hanc censuram duplicem, absolutionis in subditis, excommunicationis in Principe, pœnas alias non infligere. Quarum censurarum prætextu tantum abesse ait, vt consentiat Ecclesia eorum vitæ per vim temerandæ, quos huiusmodi censuris percussit, vt omnes prorsus lanienas abominetur: eas præsertim, quæ ex improuiso patrantur: Quòd in huiusmodi cædibus animæ plerumq; cum corporibus in malam rem pessundentur.* Illud enim à nobis satis est demonstratum huiusmodi Regum proscriptiones vnâ secum semper trahere aut necem Regis violentam ac acerbam, aut aliquid nece longè intolerabilius. Quid verò inde nobis commodi emergit, si Ecclesia ipsos non submiserit percussores, nec Regicidium modo, & formâ (vt aiunt) patrandum imperârit, id tamen interim sedulò curauerit, ex quo hæc sequuntur necessariò, adeoque regum pectora vulneribus hisce excipiendis planè denudauerit? A rectâ autem ratione longissime abludit ea Cardinalis sententia, quâ asserit

Pag. 95.

hamus : ita nudatum qui transfoderit, non poterit esse Regicida. Hæc de Rege breuiter dicta sunto, qui post Papalem depositionis sententiam armis se, iusque suum propugnat.

Quod si finem optatum Papalis censura sortiatur, si Rex reipsa Exrex, solioque extorris deuenerit, fieri vix posse reor, vt, qui regnum non potuerit, vitam possit suam sartam tectam conseruare. Non est Regibus, non est a natura inditum, quod felibus, vt de loco excelso in terram deiecti pedites semper cadant, illæsique abeant. Imperatoribus, Regibusue paucissimis datum, vt suo superuiuerent imperio. In thronum regalem clemens ascensus datur, scalâ gradibusue paulatim increscens. De fastigio non est quâ descendatur : cliuo ruitur præcipiti. Qui reip. nauem, excusso gubernatore, inuadit, non satis se tutum putat, si, dum ipse ad gubernaculum sedeat, veterem Palinurum per foros cursitantem videat, vel sub transtris captiuum habeat, potius in imos fluctus demittendum clamabit in Thetidos sinu dormiturum. Si qui autem regno exuti percussoris manum effugerint, ij profecto aut exules profugique inter ignotos ignobiles nunc errarunt, nunc latuerunt, aut domi æternùm carceribus mancipati vitam traduxerunt quauis morte funestiorem. Dionysius Syracusanus regno pulsus Corinthi Scholam aperuit, ac pueros docuit : eo nempe vitæ genere delecto, vt quadam regni imagine se oblectaret. Hic solus, credo, inter mortales occurrit, cui post regnum ereptum ridendi animus erat, fortunæque suæ priori ilocalariter illudendi. In regno hoc meo Anglicano complures solio excussi sunt,

Edouardus,

Edouardus, Richardusque II. ac Henricus VI. qui omnes in carcerum latibulis crudelissimè sunt trucidati. Regnante Edouardo III. publicis omnium Ordinum decretis perduelles declarati sunt, maiestatisq; rei, quicũq; Regis mortẽ vel facto machinarẽtur, vel (qui legis stylus) cogitatione efformarent. Qua lege freti Iudices Angliæ consultissimi proditores deinceps pronunciârunt, quotquot de Rege deponẽdo consilia inirent, vel etiam semel mussitarent. Id enim optimè perspectũ habuerunt, non posse Regem sceptro, nisi simul vitâ etiam, spoliari.

In re igitur seriâ ludit Do^us Cardinalis cum dicat, *In Regum subditis ab obedientiæ vinculo soluendis Ecclesiam se non nisi in foro Ecclesiastico intermiscere; ac præter hanc censuram duplicem, absolutionis in subditis, excommunicationis in Principe, pœnas alias non infligere. Quarum censurarum prætextu tantum abesse ait, vt consentiat Ecclesia eorum vitæ per vim temerandæ, quos huiusmodi censuris percusßit, vt omnes prorsus lanienas abominetur: eas præsertim, quæ ex improuiso patrantur: Quòd in huiusmodi cædibus animæ plerumq; cum corporibus in malam rem pessundentur.* Illud enim à nobis satis est demonstratum huiusmodi Regum proscriptiones vnâ secum semper trahere aut necem Regis violentam ac acerbam, aut aliquid nece longè intolerabilius. Quid verò inde nobis commodi emergit, si Ecclesia ipsos non submiserit percussores, nec Regicidium modo, & formâ (vt aiunt) patrandum imperârit, id tamen interim sedulò curauerit, ex quo hæc sequuntur necessariò, adeoque regum pectora vulneribus hisce excipiendis planè denudauerit? A rectâ autem ratione longissime abludit ea Cardinalis sententia, quâ asserit

Pag. 95.

Ecclesiam tela sua in Reges e foro tantum Ecclesiastico, eaque propria & domestica vibrare, cum subditos a iuratæ fidelitatis officio liberat. Quasi verò hæc pœna, quâ officia ciuilia & naturalia intercluduntur, ac iura natiua & hęreditaria auferuntur, non sit vsquequaq; ciuilis; aut pro tribunali Ecclesiastico queat taxari, quin politicę potestatis iura potiore sui parte mutilentur. Id autem vehementius miror, quâ fronte asserat Ecclesiam nec probasse, nec tolerasse vnquam, vt in eorum, qui censuris spiritualibus icti sunt, vitas temerè inuoletur: cum Papæ Vrbani de cathedrâ pronunciantis ita sonet vox, *Eos homicidas non arbitramur, quos aduersus excommunicatos zelo Catholicæ matris Ecclesiæ ardentes, aliquos eorum trucidasse contigerit.* Enimuero si Regicidia neutiquam approbet Romanus Pontifex, cur quæso, cum alios Iesuitæ Marianæ libros percensere, ac dispungere non fuerit grauatus, pestilentem illum eiusdem codicem Regicidiorum præconem, ac laudatorem non damnat? Cur Curiæ Parisiensis meritissimam contra Iohannem Castellum latam sententiam censuris suis confixit? Cur Garnettum, & Oldcornum meos puluerarios suffossores patitur albo scilicet Martyrum inscribi, adeoque Romæ libellis celebratos, tabulisque ad viuum delineatos apertis officinis venditari? Cur cum duos Franciæ Reges potentissimos nouerit non ita pridem sicâ transuerberatos, cum ingenti Europæ gemitu cecidisse, super hac re quid sentiat, quid probet, quid iubeat, orbem non docet Christianum? Cur Decretum nullum, aut commonefactionem promulgat, quo Regum incolumitati meliùs inposterum prospiciatur? Becani certè libellum

Can. Excom. Caus. 23. Quæst. 5.

perstrinxit,

perſtrinxit, ſed leui brachio: vt cenſurâ illâ languidâ & captiosâ, ſeueriori e ſcholâ fortè Sorbonicâ prodituræ occurreret. Etenim Becanum Pontifex generali tantum increpatione inuoluit, quâ nihil, quod Regum capita attingat, ſpeciatim explicatur. Poſt binos autem vel circiter menſes iterum typis editus, ac Papæ apud Germanos Legato nuncupatus idem orbi renatus eſt Becanus, nullâ ſui parte mutilatus, extra duos articulos, in quibus de abſoluta populi ſupra Reges poteſtate agebatur. Quorum detruncationi compenſandæ tres quatuorue de nouo ſuccreuerunt (de Papali in Reges dominio) æque certè diſtorti, ac improbi, imo paulò nequiores dentatis & vncinatis illis, quibus Regum paludamenta antea vellicauerat. Quod ſi exemplis vacaret immorari veterum, vt Henrici IIII. in cuius etiam mortui cadauer ſæuijt Papa; Frederici II. in quem Papa Sultanum inſtigare ac immittere non erubuit: heſternorum, vt toto orbe laudatiſſimæ Eliſabethæ noſtræ, quam non ſemel, ſed ſæpiuſcule ſicarij Româ, plane quidem Româ emiſſi e medio tollere conati ſunt, ſi huiuſmodi exempla animus eſſet conglobare (qualia in Apologia noſtra commemorata ſunt) luce clariùs conſtaret, quàm longè a veritate abſunt illa, quæ, quâ eſt confidentiâ, D^{nus} Cardinalis aſſertat, *Neminem Pontificum eo vnquam prorupiſſe,* » *vt Regibus iugulandis conſilium præberet, aut conſenſum.* » Alia vt miſſa faciamus, hoc ipſum, quod iam proſequuti ſumus, ſatis habet ei conuincendo: quia nempe Papa eo ipſo quòd Reges ſceptro exarmat, rectâ ad macellum mittat; ac dum regno cedere iubet, eadem voce vt tumulum parent, commonere cenſendus ſit.

Pag. 97.

Mihi profectò nonnihil ſubolere videtur, quòd dicat
Pag 95. *Eccleſiam lanienas præcipue ſubitaneas ac inopinatas abomina-*
" *ri.* Tacite ſcilicet agnoſcens non vehementer abhor-
rere eam a cædibus vi aperta patratis. Quinimo ipſe ſi-
num ſuum explicat, ac profitetur ſibi non diſplicere, vt
Rex a Papa exauthoratus bello aperto impetatur. Vnde,
me quidem iudice, ſequitur poſſe eundem in bello iure
licitèque occidi. Quod eximiæ eius eſt erga Reges co-
mitatis benignitatiſque argumentum. Longè ſcilicet,
ſupraque quàm dici poteſt, mitiùs cum Rege agetur,
ſi in aperto campi æquore globo ſclopetico tranſuer-
beretur, quàm ſi intra domeſticos parietes pugione tranſ-
fodiatur: longè mollius tractabitur, ſi, vrbe, in quam ſe
recepit, obſeſsâ, cuniculis actis ſpiritu Sulphureo in al-
tum ſubuehatur, membratimque diſplodatur, quam ſi
in media pace ſubterranei huiuſmodi ductus Palatij
Regij pauimentis ſubſtruantur. En autem rationem.
In cædibus nempe improuiſis plerunque cum corpore
anima ſimul it in malam crucem. O clementes, ô ſua-
ues parricidiorum hortatores! Amicis quam ſtudioſè in-
ſeruiunt, qui ſic inimicos beant? Quorum corpora la-
nienæ deſtinant, animas Orci faucibus ſtudent libera-
re. Affine profectò hoc eſt illi Marianæ Ieſuitiſſimi
conſilio, cui non placet ſcilicet, vt veneno cibis, vel po-
tibus ingeſto tollatur tyrannus; ne ſi manu ſuâ ſumat,
ore ſuo hauriat venenum illud, quo intimis medullis
concepto pereat, ipſe ſibi mortem conſcire, adeoque
manus inferre cenſeatur. Clementiam hominis prædi-
candam! imo dementiam, cui illud interim inprimis
arridet, vt exteriùs iſthæc ab alio adhibeantur: ita vt ni-
hil

hil adiuuet is qui perimendus eſt. Laudatis itaque pluribus Maurorum Regum exemplis, ſuadet, vt venenis ipſo odore, aut contactu interficientibus Regum perimendorum ſellæ, ephippia, arma, ocreæ, interulæ, vel aliæ veſtes intingantur. Ita nempè miſeri tyranni pereuntis animam fore ab hac αὐτοχτονίας noxâ liberam, atq; de exitu ſuo innocentem. Vah homines Tartaro emerſos, vel potiùs dæmones hominem indutos! Qui, ſi in Regibus quicquam ſui, in populis quicquam viri adhuc vigere ſuſpicarentur, ab immanibus, horrendiſque his conſiliis Orbi propinandis ſibi, credo, temperarent. Vſquequò autem, quos vnctos ſuos indigitat Dominus, qui in terris ſpirantes ſunt Dei ipſius imagines, quibus in promptu eſt vermiculos hoſce venenum peſtemque exhalantes minimo digitulo, imò ipſo ſupercilij nictu leuiſſimo conterere, quouſque ſibi in os impunè inſpui patientur, ac in ſuâ diuinam conculcari maieſtatem?

Eiuſdem leuitatis eſt manifeſtum illud, quo nos Do^us Cardinalis ludificatur, delirium. Poſtquam enim in tyrannide exercitium ab vſurpatione diſtinxiſſet, rationem procudit validam ſcilicet, & maſculam, cur ſibi non probentur profanæ illæ Ethnicorum leges, quæ contra eum, qui exercitio ſeu adminiſtratione tyrannus eſt, inſidias necti, ac coniurationes iniri permiſerunt. Ea ſic habet. *Quòd poſt ereptum Imperium, inhæreat Regibus interna quædam ad Regiam dignitatem habitudo, & quaſi character politicus, qui eos à priuatis plebeiiſque diſtinguit, ac, remoto tandem obice, legitimæ regni adminiſtrationi* [illegible] *reſtituet.* »
Hæccine eum ex animi ſententiâ loqui? Nihil minus. Si enim Regno ſemel ſpoliatus Rex, neci ſe poſſit ſubducere,

ducere, tantum abest vt priuatam vitæ conditionem iam subeunti dignitatis quicquam, aut characteris politici remaneat, vt contra contemptior abiectiorque sit euasurus, quàm si eidem plebeio nasci contigisset, nec sceptra vnquam contrectasset. Pauone auium nulla speciosior, nulla augustior: idem deplumis corniculâ Æsopicâ insulsior; imò noctuâ deformior. Quiuis è grege artifex, quilibet Romæ olim degens, ac libertate gaudens vespillo, vel sutor claudus fortunas, si saperet, mutare nollet cum Imperatore Valeriano apud Saporam Persarum Regem in vinculis detento. Quod si quo fato malo D^no^ Peronio contingeret vt purpura, mitra, reliquisque Ecclesiasticæ dignitatis insigniis spoliaretur, annon illi in tanta nuditate ingenti foret hoc solatio, quod quandam ad amissos honores recuperandos habitudinem, & characterem retineret Cardinalitium? annon isthæc honorum vestigia in se contemplatus mulo lubentius esset valedicturus, ac promptiùs foras pedes semper profecturus? Ecce autem, quo se solidè consolentur Reges à Papa propter hæresin regnis depulsi. *Sub-*
„ *lato nempe hoc obstaculo* (hoc est, cum ad frugem bonam
„ redierint) *hæc* (inquit) *habitudo, hic character inhærens eosdem*
„ *legitimæ regni administrationi est redditurus.* Frigidam verò consolationem; vbi hoc pro concesso sumitur, eum à quo Rex sceptris depulsus est, si modò Exrex ille pœnitentiam egerit, ac merus verusque redierit Romano-Catholicus, huiusmodi conuersioni ex animo gratulaturum, & hunc nuper erronem, iam reducem in patria iura sedesque antiquas bonâ fide remissurum. Ego verò subuererer potius, ne nouus hic Regaster aliquot an-

norum morulam ſit poſtulaturus, ad pertentandam, penituſq; cribrandam repetitoris illius conſcientiam, num admiſſorum dolorem verum imbiberit, an ſimulatum induerit. Fronti, voci, lachrymis, planctibus cauſaturus non continuò fidem adhibendam. Si fucata non ſit, crudam tamen, inſipidamque eſſe pœnitentiam, quam nondum concoxit dies. Morbis chronicis ſimilem eſſe hæreſeos luem, qui perrarò in ſanitatem proximè deſinunt, ſed in alios plerunque morbos tranſmigrant. Si priorem excuſſerit hæreſim, in nouam fortè eſſe prolapſum. Aut denique prioris labeculæ ſi non vulnere, ſaltem cicatrice eſſe adhuc, ſemperq; fore deformem. Toti ſcilicet perſonæ ab hæreſi characterem ſemper imprimi moralem, charactere illo Maieſtatis politico longè *indelebiliorem*. Duram, miſeramque Regum conditionem! quibus hanc depoſitionis pœnam ſemel ſubeuntibus nullus pœnitentiæ locus relinquitur. Quaſi illorum aberrationes ipſa eſſent peccata contra Spiritum ſanctum, aut peccatum illud ad mortem, ſuper quo deprecari nefas. Nemo priuatus ea viuit conditione, vt lapſus non poſſit attolli, læſus ſanari, exhonoratus reſtitui. Vni Regi ſemel deiecto ſua pœnitentia ſemper eſt infructuoſa. Denique priuato patrifamiliâs nemo ſeruitia inuito eripit, nemo in ſuam transfert non manumiſſa domum. Noſtros autem Papa cum in Cleri ſortem, aut Monachatus ſeceſſum adſciſcit, nobis inconſultis, pro libitu facit è ſubditis non ſubditos.

Ego verò vlteriùs quæro. Si à Papa deponatur Rex in hæreſin lapſus, cui filius ſit Catholiciſſimus, quis, quæſo, in vacuum veniet? quem, ſodes, Papa eſt ſuffe-

cturus? Num hominem nouum, aut peregrinum? Inde insignem hæres filius iniuriam patietur. Num ipsum filium? Inde maiorem faciet. Qui si vlla patris, Deive reuerentiâ tangatur, sedulò cauebit, ne, per quem regno nascitur, eundem regno deturbet; nec Imperatoris Henrici V. vestigiis insistet, qui Papâ hortatore, patrem suum ætate prouectum, doloribus confectum Imperio depulit. Multò minùs Doctorem Soarium nominatissimum Iesuitam audiet: qui in libro contra me scripto, postquam numeroso scil. accinente Doctorum choro, *cathedraliter* pronunciasset, *Regem à Papâ depositum ab illis tantum posse expelli, vel interfici, quibus ipse* (Papa) *id commiserit*; paulò post subiungit, *Si Papa Regem declarauerit hæreticum, & à regno depositum, & de exequutione nihil amplius declaret*, hoc est nulli in mandatis det, vt eum occidat: *tunc solus legitimus successor eius habet illam facultatem, si Catholicus sit, vel si ipse negligat, vel nullus sit, communitas regni in illo iure succedet, si sit Catholica.* Tetram verò sententiam, non atramento scribendam, sed sanguine. Regi quis in regno hæreditario successor, nisi, si quem habeat, filius? Filium itaque, ex huiusce scholæ placitis oportet statim à disploso per Papam depositionis fulmine, genitoris sanguine manus parricidas cruentare. Quæ quidem eo apud me tenaciùs hærere poterunt, quòd liber hic furialis rectâ Britanniam spectet, me nominatim petat, contra me virus suum eiaculetur; adeoque teneram filij mei indolem ijs institutis imbuat, quibus, siquando in Romano-Catholicum degenerauerit, simulac in me Papa depositionis flagellum contorserit, ipse continuò animæ traducem suæ hunc sanguinem effundere teneatur.

Lib.6.cap.4.

Hæc

Hæc reuerendorum huius ſæculi Patrum religio: hæc regni Pontificij aſſertorum ſtupenda ſanctitas; præ quâ quicquid inter Ethnicos inhumanitatis, inter Anthropophagos immanitatis vel factum, vel fictum reperitur, clementiæ dehinc, pietatiſque nomine Orbi veniat Chriſtiano. Iſthæc potius D^no Cardinali cogitanda erant, ac diluenda, quam de *habitudinibus, & politicis characteribus* garriendum: quæ fortè populus æquè intelligit, ac * *Kiskildriuia*.

* *Vox* Eraſmi *fictitia in præfatione ad opera S. Auguſtini.*

Hæc omnia videntur aliquo modo poſſe tolerari, ſi cum extremâ huius argumentationis clauſulâ comparentur: in qua ſuadere conatur, hunc, qui Papalem in Reges tyrannidem coercet, Articulum, ſi modò reciperetur, *Regibus & periculo futurum & damno. Inde ſcilicet* "
ſchiſma oriturum, ex ſchiſmate bella inteſtina, Regum deſpe- "
ctum, animorúmque inclinationes ad eorum vitas impetendas; "
iram denique diuinam incubituram, quas non inflicturam cala- "
mitates? Mirum verò παράδοξον, & oculis eruendis natum! ad vitas Regum in tuto collocandas opus eſſe, vt Regni arce fulmine Papali poſſint deiici? Ad Regum augendam dignitatem optimum eſſe, vt ſceptra alieno ſubmittant arbitrio. Precariò regnandum eſſe, vt regno gaudeant diuturno. Quaſi dicat quiſpiam, ne denuderis, nudus incedito, imperio ne excidas, excede. Ego quid alij in re tam arduâ philoſophentur ſubtiliùs non exquiro, apud me certè iamdudum ſtatui bona mea, tum verè mea eſſe, cum, præter meipſum, in ea nemo hominum quicquam iuris poſſit vendicare: tum certiùs, ſecuriùſque poſſideri, cum meo tantum, non alieno, ſubſint dominio. Sed hunc errorem mihi video ex ingenij

mei tardidate, atque hebetudine obrepsisse. Vnde metuendum fortè, ne (quod in sæculo hoc adeo sagaci ego vnus obtusæ naris, tardulusq́; repertus sim) me Dominus Papa detonsum in claustra sacra detrudat, futurum bono Childerico confraterculum. Cum itaque admirandæ huius ratiocinationis neruos non capiant angustiæ pectoris mei, experientiam ego magistram adhibui; neque verò ab eâ ediscere potui, vspiam gentium inde bella, turbásue increbuisse, quòd populus non crederet Papæ ius esse Reges exauthorandi. Ex aduerso autem, vt hæc Pontificia tyrannis populo obtruderetur, quæ in Anglia olim decessoribus meis Henrico II. Iohanni, & Henrico III. turbæ, periculaque oborta sunt, quas populi seditiones, nobilium dissidia, regnique huius deuastationes ea tempestas inuexit? Huius disciplinæ furoribus infestata sub Imperatoribus Henrico IV. & Frederico I. Europa, sanguine Christiano redundauit; dum intereà in Oriente Saracenorum incursionibus, & victorijs nomen pænè intercideret Christianum. Hisce dogmatum seditiosorum scintillis accensæ faces, quæ intima regni Gallicani viscera combusserunt, ac Confœderationis nouissimæ furiis inflammarunt: quæ eandem Franciá ad extimum perduxêre periculi marginem, vt tribus vix digitis abfuerit, quin genti peregrinæ in seruitutem concederet: quæ denique eiusdem Franciæ regum par nobilissimum fędo, horrendoque extinxêre parricidio. Ita tanquam tela Regum vitæ muniendæ, dignitatique tuendæ opportuna dum tricas has, & theses diabolicas nobis porrigit D^us Cardinalis, haud aliter aut nos, aut operam ludit suam, quàm si homini nudo, ac naufra-

naufrago consuleret, vt se in mediis pelagi fluctibus desiccet, aut ad Lunæ radiolos calfaciat.

EXAMEN EPILOGI CARDINALITII.

POstquam rationum aculeis acriter depugnasset, placidè tandem ad preces, hortationésque descendit; quibus auditores adiurat suos, *ne temporali Regum incolumitati ita prospiciant, vt eos cogant salute æternâ excidere: Ne Ecclesiæ vnitatem interruptum eant in sæculo hæresum feracissimo; quæ cum Galliæ partem non exiguam peruaserint, Catholicorum dissidiis etiam amplius sunt inualituræ. Hac peste longiùs prorepente religionem illidi non posse, quin simul Reges eodem ictu impetuque percutiantur. Non alio fine hunc offensionis lapidem moueri, quàm vt Ecclesia in partes distrahatur.* Nec sibi quidem videri *hunc, qui proponitur, articulum esse à Tertij Ordinis Delegatis excogitatum, sed à nescio quibus suggestum, qui cum se ipsi ab Ecclesia Romana diuulserint, quosdam nomine tenus Catholicos, imo Ecclesiasticos suâ naturâ faciles, ac infirmos illaqueârunt, ac specioso obedientiæ Regibus exhibendæ prætextu eorundem simplicitati illuserunt. Iuliani scilicet Apostatæ exemplum sequuti, qui Christianos ad Idololatriam adacturus, imagini Imperatoriæ Iouis, Venerisque simulacbra curauit intermiscenda,* &c. Hic sparsis quibusdam ex horto oratorio flosculis, hunc Articulum clamat *quiddam esse Monstri in piscem desinentis, ac ex Angliâ Galliam vsque tranantis. Hoc nempe purum putum esse iuramentum fidelitatis Anglicanum, nisi quod illud Anglicanum aliquanto mitius sit, modestiusque.* Inde arreptâ ansâ in

in laudes statim meas digreditur, mihique literarum scientiam, virtutésque ciuiles benignè scilicet attribuit, ac eo potissimum nomine gratulatur, *quòd contra ipsum in arenam descenderim Theologicam.* Me interim leuiter vellicat, quasi *inter Romanenses dissidij schismatisq; semina immittentẽ.* Quod tamẽ mihi facilè ignoscere vult videri, vtpote *facienti quod cum officio meo coniunctũ sentiam. Veruntamen nec fas nec æquum esse, vt quod Angliæ regno præscriptum est, Franciæ etiam legis nomine obtrudatur: nec vt Catholici, multo minus Ecclesiastici, quò suis in Gallia immunitatibus fruantur, ad eadem credenda, iuramentoque obsignanda adigantur, quæ Catholici Anglicani, vt aliquantum respirare, vel potiùs suspirare possint, admittere, ac aduouere coguntur. Quod si inter Anglos viri reperiantur constantes, paratique ad omne genus supplicia potius subeunda, quàm vt in huiusmodi verba iurent, nunquid* (inquit) *in Gallia non occurrent plurimi haud minori constantiâ ac fortitudine muniti?* Certè quidem, *Auditores, paria inter nos non deerunt exempla. Nos verò quantum sumus Episcoporum hac in causa ad Martyrium rectâ adproperabimus.* Denique pro exuberanti probitatis suæ affluentiâ, ac superpondio, odiosam satis inter Regem suum ac me subinnuit comparationem, Deoque gratias agit, quod ipse, reliquique Franci *Regi non subsint Martyrifico.*

Totum hoc quicquid est orationis tumidæ, ac ampullatæ, si propiùs inspiciatur, debilitatem facilè suam, inanitatémque prodet. Neque enim adduci potest Tertius Ordo, vt credat, se, quòd Regis sui vitæ, salutique prospiciat, eundem ad inferos, pœnásque detrudere sempiternas. Nec tam torpido sunt, plumbeoque cerebro, vt somnient, non posse vnquam in Cælos Regis animam

ascen-

ascendere, nisi de solio terreno descendere ad Papæ arbitrium velit.

Quòd hæreticos asserit Gallicanos ex hac dissentione suas sibi commoditates nectere, id hinc videtur præcipuè fidem emendicare; quòd scilicet, quotquot religionem reformatam, hoc est à Papismo defæcatam profitentur, sint, ac verè dici possint hæretici. Quam quidem propositionem tum demum solidè probabit Cardinalis, cum Pontifex è tripode suo nouum nobis effuderit Euangelium, aut alia Biblia sacra ex Apostolicâ suâ officinâ procuderit. Me profectò iamdudum D^us^ Cardinalis erudiendum susceperat; verùm in medio eum itinere nescio quid detinuit, ac ab incepto reuocauit. Anni iam tres pręterlapsi sunt, ex quo scripto cuidam meo intra paucos certè dies contexto responsionẽ parat, quam sępe fingendo, refingendo, expoliendo, elimando iam, credo, aut nitidam, aut nullam reddidit. cum tamen & Regis perquàm amica concertatio, & rei tractatæ dignitas aliquid saltem responsi in lucem emitti iamdiu flagitârint. Quod quidem diutinum silentium ego eius tribuendum censeo non ingenij tarditati, quod scio quam sit acre ac vegetum; sed prudenti cuidam diffidentiæ, quæ causam male fundatam præterire malluit, quàm tractando confringere.

Sed, vt ad istos, quibus tanto est compendio hæc Catholicorum discordia, hæreticos redeamus, eorum profectò, adeoque piorum omnium officium est, non dissidiis seminandis, sed fidei erga Regem præstandæ excubare. Quos si, id dum sedulò satagunt, his placere, illis displicere contigerit, id bonis sanè meritò dolendum,

quòd, dum Regis ſalutem, veritatiſque partes ſuſtinent, placere nequeant vniuerſis. Nam ſi hi Articulo propoſito fabri fuiſſent, quorſum ſe occulerent? Cur eius facti authoritatem defugerent? Hoc ſcilicet ijs honorificum foret, atque palmarium, vnicos fuiſſe, reliquis altum ſtertentibus, diademati, vitæque Regiæ vigiles proſpectores. Neque vero video cur Ordinis popularis delegati opus habuerint id aliunde edoceri, quod exempla domeſtica, hiſtoriæque adeo frequenter inculcatit Gallicanæ. Quid opus hanc vt doctrinam quaſi piſciformẽ aduenam, alio ex orbe maria penetrantẽ expectarent? Domi habent de ſuo oculis inerrantia, auribus inclamantia, quibus excitentur, monimenta; Adhuc fluit Regum transfoſſorum cruor; Adhuc ſonant a recenti vulnere vltimi cadentium anhelitus: adhuc bellorum ciuilium ſæua facies animos triſti recordatione vulnerat. Si funeſtis hiſce calamitatibus non ſatis apertè moneantur, quod remedij genus in populi fide exquirendum, legunt in Archiuis frequentia Curiæ Pariſienſis decreta, quæ idem ipſum, quod iam propoſitum eſt, remedium haud obſcurè deſignant. Cum iuxta cubet, manuque palpetur, quod pungit, malum, quid opus externo, qui de longè clamans expergifaciat, monitore. Mihi itaque videtur D^us Cardinalis Ordinis Tertij delegatis iam non tam abblanditus, quam feciſſe contumeliam, quaſi ad Regiam ſalutem tuendam, nec amoris, nec prudentiæ ſatis e proprio penu depromentibus, ſed ab ijs, qui hæretici paſſim, audiunt, ea, quibus nomen ſuum obtendunt, præſidia haurientibus.

Quod me autem attinet, qui in ea claſſe collocor, vt ſchiſ-

ſchiſmatum ac diſſentionum architectus; Deus mihi, & pia teſtis conſcientia, me nunquam huic negotio manum, aut mentem admouiſſe. Mihi ſemper erecta placuere conſilia, & lucis, ſoliſque patientia. Ego me non latebris, aut diuerticulis, ſed aperto calli, campoque libero aſſuefeci. vtpote cui neceſſe non ſit cuiuſquam metu, aut verecundiâ me, aut incepta mea occultare. Iulianus mihi nec pro magiſtro eſt, nec exemplo. Ille à Chriſto transfuga: ego, quam ſemel imbibi, Chriſti fidẽ ſemper teneo. Ille catus dolorum artifex: ego apertus, ac ſine fuco. Ille ſubditos ſuos ad perfidiam adegit, bellumque contra IESVM CHRISTVM: ego meos adduco ad fidem mihi præſtandam ex IESV CHRISTI mandato debitam. Quàm autem Iuliano ſim diſſimilis, pluribus habetur in noſtrâ Epiſtolæ Bellarminianæ ad Blackwellum ſcriptæ refutatione. Vnde cum hoc exemplum deſumpſerit D^{us} Perronius, indidem etiam reſponſum ſibi nouerit addiſcendum.

Quemadmodum, quibus me aſpergit, ſuſpicionibus vanis, ac futilibus haud quicquam commoueor, ita nec laudum nænijs, quas mihi quaſi cunas motans cantillat, poſſum conſopiri. Qui ſcientiæ laudem cuiquam tribuit, Dei autem timorem denegat, perinde facit, ac ſi quis in milite pulchellos cincinnos admiretur, ac eidem ſimul ignauiam exprobret. In homine hæretico ſcientia, ingenium, literatura cui rei inſeruiunt, niſi vt eum, quò pluribus vapulet, grauiore reatu cooperiant? Impietati famulantes virtutes omnes in vitia coaceſcunt. Quas ad ſe vocat, ancillas diuiniſſima Domina Sapientia, virtutes ſunt, ſcientiæque humanæ, tum pernicioſæ, *Prouerb. 9.*
cum

cum herifugæ, tum homini exitiales, cum, relictâ hac Reginâ, se Diabolo in obsequium tradunt. Viros nobis proponamus binos rectâ Dei cognitione destitutos, quorum alter literaturæ, virtutumque ciuilium phaleris splendescat, obbrutescat alter barbarie, ac turpi morum deformitate. Inter hos hanc ego pono differentiam, quod ille agiliùs, ac maiori cum pompâ in Inferorum barathrum ambulet. Qui quidem impensè nequam, bisque detestabilis euadit, si huiusmodi virtutibus, tanquam machinis, telisque vtatur ad vexandam Ecclesiam, illudque ei possit exprobrari, quod olim Cæsari, quòd sobrius, suique compos ad remp. perdendam accesserit, quæ fortè ab ebrio, gulæ, ac popinæ nato cladem mitiorem reportasset. Neque vero adeo auidus gloriolæ auceps sum, vt laudes huiusmodi siccas, & steriles, amplecter, quæ prorsus nihil sapiunt, quod de Mauritaniæ Rege Mahometico non possit prædicari. Eas, me respuente, redhibeat sibi benignus Cardinalis: qui minuta quædam mihi largitus crepundia, veris interim solidisque me diuitijs cupit spoliatum: cum mihi auferat meæ rei, speique anchoram, salutis proram ac puppim, cognitionem, ac fidem, quâ Deum intueor meum, timorem ac reuerentiam quâ eidem inseruio. Cui ego me, meaque omnia, sceptrum, ensem, calamum, industriam, quicquid possum, quicquid sum, voto perenni consecraui; in perpetuam misecordiæ illius recordationem, quâ me circumsonis sæculi erroribus, regnum graui onerosoque Paparum iugo dignatus est liberare. Regnum, inquam, meum, in quo iam Deus nec ignotus colitur, nec linguâ ignotâ inuocatur. In quo Scripturæ

sacræ

ſacræ populo patent citra ſpeciale priuilegium legendæ, eâdemque, quâ a populis Epheſino, Romano, Corinthiaco Paulinæ ad ipſos datæ epiſtolæ, libertate peruoluuntur. In quo populus, non, vt *proximis retro ſæculis, ſoluto viritim cenſu, peccatis emit indulgentiam. In quo quam itineribus tranſmarinis, ac tranſmontanis longè petere, ac nundinari olim cogebantur, remiſſio, eaque per Chriſtum gratuita, ſubditis meis intra limen domeſticum præconio Euangelico in aures porrigitur, in corda inſtillatur. Si his, ſimilibusque de cauſis mearum ditionum Eccleſiæ miſeræ ſint D^no^ Cardinali; Eſto: noſtram profectò miſeriam nos cum illius fœlicitate non permutabimus. Quod ſupereſt, ego, diuinâ adſpirante gratiâ, animo, totiſque viribus connitar, vt eam vitæ rationem conſecter, quæ vt vt fortè in calumniam, in reprehenſionem certè iuſtam non impingat. Nec vero ita mihi male conſcius ſum, vt de meipſo tàm deſperatè, deploratèque ſentiam, quàm de ſe Papæ, quorum nonnulli cum Cœli, Tartarique clauigeri, cum ſalutis promi-condi audirent, Papas ipſos ſaluari non poſſe pronunciarunt. Quæ non a tetris, qui ſedem illam quandoque occupârunt, hominum propudiis, ſed a duobus, qui inter meliores cenſentur, Pontificibus vox eruperat. Ego ſcilicet Dei ac Saluatoris mei promiſſis in Euangelio promulgatis innixus, plane confido, me de peccatis meis agentem pœnitentiam, omnemque fiduciam in Ieſu Chriſto defigentem, per eius nomen ac merita remiſſionem conſequuturum. Inanibus autem laruis, ac nihili argutiis terreri haudquaquam poſſum, quandiu Ieſu Chriſto adhæſero capiti

Onuphrius in vita Pauli IV. Aliquot annis poſt Apoſtolicæ Sedis Nuncius in Angliam ad colligendum S. Petri vectigal miſſus. *Vide & Mattheum Paris.*

Onuphrius de vit. Pont. in vita Marcelli II. ait poſt Hadrianum IV. etiam dixiſſe Marcellum, Non video quomodo, qui locum hunc altiſſimum tenent, ſaluari poſſint,

piti Ecclesiæ, quasi extra sim Ecclesiam. Cuius nempe significatu nunc dierum non venit cætus in Christum secundum ipsius verbum vocemque credentium, sed pompatica quædam Monarchia, eaque iam temporalis, cui caput Romanus Pontifex. Ita nomen hoc speciosum iamdiu inseruijt infinitis recentium sæculorum erroribus obtegendis, putridisque humanæ officinæ assumentis deaurandis.

Quod si D^no^ Cardinali vt fortè fando auditæ, ita probè perspectæ ac cognitæ essent, horrendæ illæ, quæ in caput hoc, meamque stirpem vniuersam conflatæ sunt, coniurationes, si repetita illa, ac renata seditionum, proditionum, periuriorum monstra, quæ in subditorum meorum Romanensium etiam Clericorum pectoribus & nidulata esse, & pullos exclusisse ex publicâ reorum conuictione abunde constat: tantum abesset ab illâ in me contorquendâ calumniâ, *quasi Catholicos respirandi, suspirandique libertate arcentem, ac omni suppliciorum genere cruciantem*: Vt contrà potius me tot periculis intentatis adhuc spirare, tot ruptis proditionum laqueis, etiamnum cum ijs clementèr, mansuetèque agere vehementer miraretur. Enimuero si in regni sui visceribus Francorum Rex foueret subditos, qui (quod plurimi apud nos Romano-catholici) supremâ ac Regiâ eum Maiestate mulctarent, haud facile dixerim, Do^um^ Cardinalem Regi suo suasurum, vt hoc hominum genus benignè molliterque tractet; aut eorum, qui Regem sicâ perfodere, vel sulphureo puluere in sublime rapere conati pœnas dederunt meritissimas, constantiam laudaturum; aut dènique quenquam sustinere potuisse oratorem,

qui

qui (quod ipse iam fecit) alios ad Martyrium horum exemplo subeundum, & perduellium confidentiam imitandam hortaretur. Suauis illa, quâ me nuper inuitum afflauit, aura, en quid spirat veneni; ingens, quem in me effudit modò, laudum cumulus, en quo iam rediјt, vt subditos nimirum meos ad necem mihi inferendam, etiam pietatis nomine, instiget, & æterni prœmij spe exacuat. Voces enim illæ annon tubam sonant, quâ ad bellum parricidiale acclamatur? annon digitos habent, quibus sicæ in proditorum dextras ingeruntur? Qui in caput meum plane conspirarunt, hos Martyrum titulis decorare? Eorum audaciam maioribus theatris ostentare, admirationi, imitationisque proponere, qui non aliud quàm perduellionis scelus vltimo luerunt supplicio? Etenim illud verè constanterque assero, eorum neminem, me regnante, religionis causam capite, aut cute vnquam luisse, sed nefariæ in vitam meam, dignitatemue initæ coniurationis, aut atrocis alterius delicti, obstinationisue pœnas debitas persoluisse. Quo è numero quendam audaciæ non ferendæ Iesuitam, qui me Papæ iura inuasisse, ac nullo iure in regnorum meorum possessione hærere pro tribunali contumacissimè affirmauit, nuperrimè in Scotia suspendio tollendum curaui. Quæ cum ita sint, dum ad exemplum Romanensium, qui intra ditiones meas omne genus supplicia (ipse dixit) sustinuerunt, se offert Martyrio Do^us Cardinalis, proditorum se, ac parricidarum æmulum, velit, nolit, profitetur. Hi sunt, quos miratur, heroes: horum toties laudatas virtutes imitandas Episcopis proponit ac propinat Gallicanis. O

ſacrum olim Martyris nomen, iam ludibrio habitum, fœdèque prophanatum! O Sancte Apoſtolorum chorus, qui diuinorum oraculorum veritatem effuſo ſanguine conſignaſtis, quàm ſplendido vos noſtra bearunt ſæcula aſſeſſorum conſortio, in cohortem veſtram adſcriptis ſcilicet proditoribus, ſanguinarijs, Regicidis? vel, vt molliſſimè loquamur, pſeudo-martyribus, qui Papæ regno temporali vindicando animas ſuas proiecerunt? Epiſcopis denique, qui ad Martyrium procurrunt *problematicum*, dogmatis pugilibus nec calamo veſtro nec Eccleſiæ vobis propinquæ exemplo ſtabiliti? quodque ipſi non niſi problematicè, tepidè, trepidè audent prædicare? Mihi ignoſcet, ſpero D^us^ Perronius, ſi fortè eum ſagaciorem exiſtimem, quàm vt hæc ex animi ſenſu intimo credam deprompſiſſe. Cum enim (vt ipſe de ſe teſtatur) inuitiſſimus in hæc ſubſellia, cauſæ Pontificiæ tuendæ protruſus ſit, quam nec prece, nec lachrymis poterat a ſe amoliri prouinciam, quædam in ſe fortè ſuſcepit publicè aſſerenda, contra quæ ipſius intus oblatraret conſcientia, quædam enarranda, quæ e vanis tantùm mendacibuſque rumuſculis conuerrebantur. Cuius farinæ illud, quod multos in Anglia Catholicos dicat, potiuſquam huic poſtulato aſſentirentur, nullum non ſuppliciorum genus ſubijſſe: cum reuerà (quod in noſtra ad Apologiam præfatione Orbi Chriſtiano palàm fecimus) in Angliâ vnica obtineat ſupplicij forma, quâ in omnes Maieſtatis quocunque ſcelere læſæ reos animaduertitur.

Annon me iam pulcherrimis cohoneſtauit elogijs, quaſi

quasi Sanctorum sanguine ebrium, ac cruciatibus excogitandis ingeniosum? Annon optimis proditorum nostrorum exemplis studet, quorum stimulis excitus, ad palum, palmamque Martyrij gestiat cursim properare? His si addamus, quàm subdolè Reges Angliæ Pontifici Romano feudatarios faciat, regnumque hoc eidem ciuili mancipet subiectione; facilè constabit, in illâ laudum, quibus me perfudit, aspergine exiguas mellis guttulas fellis fluctu decumano fuisse dilutas, adeoq; iustam humanitatis temperiem immodicâ acerbitate longè superatam. Cum enim sub orationis suæ ingressum de Regibus quibusdam egisset, quos Pontifici vult esse feudatarios, nec suprematu temporali præditos, se paulò post explicans Angliæ Reges in hæc inferiora detrudit subsellia. Cum (inquit) *Iohannes Rex Angliæ nondum Pontifici recognitione vllâ ciuili obligatus Episcopos suos expulisset*, &c. Quibus certè verbis apertè innuit, regnū hoc postmodò redditū hoc in genere obnoxiū: adeoq; me Regē parùm iam legitimum, tituloq; tyrannū non obscurè definit. Quicunq; enim feudi iure quicquā possidet, si domino feudali tributa pendere, ac (quod vocant) homagij obsequium præstare detrectauerit, hunc iure suo fatentur omnes dominioque excidisse. Huic contumeliæ Cardinalitiæ aliam accumulat collega Bellarminus, Hiberniam à Papa Regibus datam Anglicanis. Quis verò Papæ dederit Hiberniam, id, quamuis auidè scire expetam, me ad Calendas Græcas docebit Bellarminus.

Pag. 10.

Regem autem Iohannem quod attinet, rem vt paulò altiùs repetamus, ita se habet. Inter Henricum II. & Pontificem de dignitatum Ecclesiasticarum collatione

sæpè est delitigatum. Eam, mortuo Henrico, Iohannes filius litem renouauit, ac Episcopos quosdam Anglicanos Papæ insolentiam contra iura Regia propugnantes sedibus suis submouit: idque eo sæculo cum quotquot temporalibus Paparum prętentionibus promouendis studentes, eo nomine castigati sunt, inter Martyres, aut Confessores confestim sunt relati. Regi Pontifex iratus sacris interdicit, Regnique Proceres, in Regem alias satis infensos ad arma concitat. Quid multa? Regnum Angliæ, quasi seruum hero orbum nouo domino tradit Philippo Augusto Franciæ Regi: sed latronum lege, nempè vt gladio acquirat sibi. His coronidem apponit locupletem laborum mercedem peccatorum omnium ablutionem. Regi denique Iohanni eam texit molestiarum telam, cui retexendæ ac deglomerandæ nulla alia patebat via, quam per seruitutis præcipitium. Pontifici itaque emolliendo Rex se eius vasallum renunciat, regnum Romano fastui prostituit: coronam tributis, subditorum capita censu annuo onerat. Hac tandem victimâ Romanas placauit aras, catenisque dirarum adamantinis solutus est. Num hæc pietatis zelo accensus, an duro potius necessitatis telo impulsus Rex admiserit, haud difficile est iudicatu. In illud angustiarum pistrinum compactus, vt se quoquo modo expediret, regnum certè suum *Amirali Murmelino* Granatæ ac Mauritanię Regi Mahumetico subiugare non detrectauit. Sub isthæc tempora ablegato in Angliam Pontificis Nuncio Rex seruitutis arrham publicum, quod appellant, homagium venerabundus porrexit, eiusque pedibus auri percussi vim magnam affudit. Eam reuerendus hic Legatus, do-

minij

minij ſignum editurus, proteruè ſatis pedibus protriuit, atque conculcauit. Nec id ſolùm, ſed & inter conuiuandum in ſolio Regio ſub vraniſco conſedit Palatino. Hic illud à D^{no} Cardinale lubens exquirerem; hæc rectéue, atque ordine, an contra ius & fas patrata ſint? Si nullo iure admiſſa cenſeat, nullo itidem iure hoc exemplum eſt ab eo vſurpatum. Sin iuſta hæc, ac legitima duxerit, me, quæſo, certiorem faciat, vnde hæc illapſa Pontifici poteſtas, vt ſe regno dominum ſupremum inuehat, rerumq́ue temporalium faſtigio inequitet, quarum ad ſe arbitrium priùs haud arrogârat. Hoccine Pontificium? hoccine inceptum Patris ſanctiſſimi? regnum ſeditionibus accendere, bellis inteſtinis deartuare, eo fine, vt redacto ad vltimam miſeriam Regi prærogatiuam Maieſtatis, imperij vitam, atque animam vel dolo ſurripiat, vel metu extorqueat? Vnde, vbi, quando hæc primùm collata poteſtas? Quo ſæculo obtinere, quo exemplo cœpit inualeſcere? Nunquid veteris Eccleſiæ Canones (Nam Scripturarum hac in re vileſcit authoritas) illine inquam peccatorem vlli huiuſcemodi aut piaculo damnant, aut ſatisfactioni obſtringunt, vt ex hero Dauus, ex Rege libero mancipium fiat Paſtoris ſui, ac ſubditos vnâ ſuos in eundem ſeruitutis carcerem ſecum rapiat, Epiſcopo tributa penſuros, Epiſcopo marſupia emungenda porrecturos; cui ludus eſt regionem auro, regem dignitate, regnum libertate ſpoliare? Num reatu ſolui peccator nequit, niſi paſtor fiat prædator? niſi reus ſub pœnitentiæ vmbrâ nudus frigeat, bonis exutus, ac hæreditarijs poſſeſſionibus extorris? Eſto: auferat Principi ſua iura, ac facultates Pontifex, vt in alium transferat.

rat. Esset quidem insolentiæ, ac tyrannidis non ferendæ contrectare aliena, ac largiri non sua. Atqui sibi hæc rapere, suis applicare loculis peccatorum spolia, sibi induere raptas cælestis pacis ac induciarum nomine exuuias, quid aliud est, quàm fraudi latrocinium, latrocinio impietatem accumulare. His enim artibus non solùm censura Ecclesiastica, pro spiritualibus, quibus solis destinatur, inuadit temporalia; pro virgulâ sceptrum arripit; pro cathedrâ Episcopali solium inscendit Monarchicum: sed etiam ex sontium pœnitentiâ fraudum decipulæ, ex peccantium lachrymis versutiarum gurgites, ex Petri denique Piscatoris rete verriculum concinnatur, regnorum florentissimorum opibus deglutiendis. Imò, quod durius est, his technis Princeps ad ea, quæ nec debet, nec potest quidem patranda adigitur. Neque enim Regem penes est coronæ suæ maiestatem minuere, aut dignitatem Regiam ad posteros transmittere vllâ eius, quam ipse à maioribus acceperat, immunitatis parte mulctatam. Multo certè minùs in eius erit potestate indignâ ac sordidâ stipulatione natiui honoris gradibus hæredes suos deijcere, populumque Principi cuiuis externo reddere tributarium. Sacerdoti verò minimè gentium: Ad quem omnino non attinet ciuilibus Regum negotijs se interserere, aut diademata manu temerare. Hinc est, quod Philippus Augustus à Papa per Nuncium rogatus, vt filium suum Ludouicum à regno Anglicano deposcendo auerteret, eiusque in Angliam profectionem impediret, eidem Nuncio responderit (narrante Matthæo Paris) in hæc verba, *Nullus Rex, vel Princeps potest dare regnum suum sine assensu Baronum suorum, qui Regnum illud tenen-*

tenentur defendere, Et si Papa hunc errorem tueri decreuerit, perniciosissimum regnis omnibus dat exemplum. Idem Matthæus testatur Regem Iohannem ex hac deditione regni in subditorum suorum graue odium incidisse. Verùm quæ nulli innituntur fundamento, sponte dilabuntur suâ. Hoc itaque Papæ ius in Angliæ regnum cum omnino nihil fuerit, præter ridiculam vsurpationem, in fumos facilè euanuit, ita vt illi abrogando non opus fuerit vel vnum gladiolum euaginari. Potestas illa scilicet Papalis cum vagæ hominum opinioni se debeat, merumque sit vmbræ somnium, aut partus subuentaneus, quem superbia genuit, fouit superstitio, primulo veritatis oborto radio, statim dissipatur. Neque enim adeo quisquam fungus est, aut stipes, vt nesciat Pontificem, si suum illud in Angliam Imperium ex verbi diuini fontibus deriuârit, in reliqua etiam regna vniuersa esse paria iura sortitum, cum omnia ex æquo sceptra diuinis edictis subiiciantur. Quid enim? Nunquid priuilegij nacta est Gallia, quò minùs, quàm Anglia Deo submittatur? Aut hæc Anglis immissa seruitus num ijs instar prærogatiuæ fuit, quò faciliùs asciscerentur in libertatem filiorum Dei? Num ex hac commutatione mercium, emptionem sibi compendiosam fecisse Angli sunt arbitrati; traditis nimirum Pontifici in manum facultatibus suis, atque capitibus, vt ipsi eo vberiores thesauri spiritualis cumulos, montésque aureos à Papa vicissim sibi lucrarentur? Hæc ipso quidem sono vel pudorem, vel cachinnos commouent. Hoc tamen lolio D^us^ Perronius suos pascit auditores.

Hic in hæreticos suos denuò impetum facit. *Nulla est* (inquit) Pag. 105.

„ (inquit) *Ministrorum Synodus, quæ huic, quo nos obstringere*
„ *visum est, articulo lubens subscriberet.* In quo apertè eum aut falli, aut fallere necesse est. Ministris Euangelicis hęc nec noua est doctrina, nec ingrata. A meis, à Gallicanis vbiq; per sacras conciones prędicatur: ab illis etiam interposito iuramento confirmatur; horum quoque, si opus esset, subscriptionibus approbanda. Quod quidem eorum neminem detrectaturum prorsus confido.

Etiamnum pergit, *Nec vllum apud eos habetur Consisto-*
„ *rium, cui hoc non penitus insideat, Si quando eorum conscien-*
„ *tiis vim inferant Reges Catholici, se à fidelitatis ijs debitæ*
„ *vinculis liberari. Hinc illæ, quas in ore frequenter habent,*
„ *formulæ expositoriæ, Hoc semper saluo, ne nostris Rex vim*
„ *faciat conscientiis. Hinc illa in vulgata fidei confessione excep-*
„ *tio; Prouiso semper, vt suum Deo summũ imperium integrũ ma-*
„ *neat, atque inuiolatum.* Quid hæc faciant ad probandum
„ Reges esse per Papã abdicabiles ego certè non intelligo. Si enim vspiam religionis reformatę professores similem fouerent errorem, non tamen inde Romanensium Maiestatis suffossorum audacia defendi poterit, aut excusari. Verùm in his, quæ à D^no^ Cardinale iam sunt allata, nihil video, quod non cum articulo proposito, ac obedientiâ Regi debitâ ad amussim quadret. Non enim profitentur se, si quippiam ijs mandauerit Rex, quod cum ipsorum conscientijs pugnet, in vitam eius inuolaturos, aut tributis soluendis defuturos, aut denique Regi protegendo facultates suas, vitasq; sub belli aleâ non oppignoraturos. Non interminantur se Regem solio deiecturos, se obedientiæ fideique repagula populo excussuros. Qui cardo est huiusce controuersiæ, ac ipsa pestis

per-

perniciesque, cui auerruncandæ Tertius Ordo salutare antidotum contemperauit. Vasto hæc, mihi crede, inter se distant hiatu; hinc Regi in mandato diuinis legibus repugnante non obedire, in reliquis interim omnibus se præbere obsequentissimos: illinc Regem sceptro, solio, purpurâ denudare, ac ita exarmatum pro non-rege habere. Si D^no Cardinali sanctissimus, ac beatissimus Pater quicquam imperaret pietati, conscientiæque rectè institutæ aduersum, eum ego (sic suadet charitas) dixerim haudquaquam obtemperaturum: Illum nihilominus, quâ summum Pontificem, aliàs colere, ac revereri, opinor, non desinet.

Adhuc acriùs dimicat, ictumque vibrat truculentiùs. *Hinc illa* (inquit) *arma contra Reges sæpiùs sumpta, quoties religionis suæ profitendæ libertatem iis eripere conati sunt. Hinc eorundem seditiones, ac tumultus, partim in inferiori Belgio aduersus Hispanum, partim in Suecia aduersus Polonum Reges Catholicos.* Nobis etiam Iunium Brutum, Buchananum, Barclaium & Gersonem exprobat. Quem hæc in finem non video, aut quid præsidij ferant ad Regum depositiones stabiliendas; eas præsertim, quæ à Romano tripode exierunt. Quinetiam quæ in medium profert, longè absunt à veritate. Neque enim ad aures meas vnquam vel fando adhuc peruenit, Protestantes Gallicanos aduersus Regem suum arma sumpsisse. Primo bello intestino inculpatæ tantùm tutelæ studuerunt; nec prius aperto Marti se accinxerunt, quàm ferro flammisque vndique impetiti strages passi essent, ac lanienas. Nec verò à religionis diuortijs dissidia illa Gallicana primò promanarunt; sed ex eo quòd, impubere ac mino-

renne adhuc Francisco II. Regij sanguinis Principibus à Regis conspectu abdicatis, Aulâque pulsis perfugio fuerint Protestantes: inprimis hodierni Regis, nec non Principis Condæi auis honoratissimis, iam tum afflictis, omnique, quo se reciperent, præsidio destitutis. Quo quidem nomine esse iam Protestantes non dubito Regi Nepoti acceptiores, & chariores. Alios motus, armorumve impressiones eis nemo iure imputârit. Imo verò contrà annon liquidò constat, immissas Henrici III. cohortes instructissimas illis funditùs exterminandis? eos posteà tamen Regi eidem laboranti, ac in angustias redacto suppetias attulisse? Numquid obscurum est illorum operâ Regem eundem in vrbe Turonensi ingenti periculo liberatum, adeoq; mortis faucibus ereptum? Annon, feruente tetra illa defectione, cuius facibus oleum instillante Papa, Gallicani pars regni maior, Cleri maxima in furores turbidos exarsit, illorum fide ac constantiâ primum Tertius, dein IV. Henrici semper defensi sunt, circumque vallati? Annon sub vexillo semper Regio militarunt, Regum saluti excubarunt, Regijs cohortibus copias suas auxiliares adiunxerunt? Annon tot impetita ictibus, tot vacillans concussionibus corona Gallicana, ne in terram procideret, illorum manu sustentata est, Regioque capiti affixa? Annon denique luce clariùs constat, eos ipsos, qui Regem nuper defunctum sceptro prohibuerunt, ferro, turbisque infestarunt, summâ quidem iam frui tranquillitate, republicâq; florente; sed quorum laboribus comparatâ, quorum fide officijsque procuratâ, quorum sudore ac sanguine emptâ, nisi puriorem religionem profitentium? Qui tamen hic publico

lico ſcilicet odio propinantur, non quod in fidei controuerſijs tritam deſerant ſemitam, ſed quod nolint coronam Franciæ Regiam Papali manicæ ſuſpendi, quod omnes Francos velint genuinos eſſe Francorum Regis ſubditos; quod denique optent, ac ſtrenuè ſuadeant, ne lites de matrimonijs Beneficijſue Eccleſiaſticis conteſtandæ cogantur peregrinari, Alpes atterere, Tyberimq; circumſonare: neue regnum Gallicanum, falsâ pietatis ſpecie factum olim tributarium, Annatarum, ſimiliumque harpyarum vncis, fuſciniſque dehinc exenteretur.

Sed quid ego his immoror? Ipſe hanc ab ijs calumniam depellit Cardinalis, cum hoc de Regibus per Papam deponendis dogma per Franciam vniuerſam vſque ad Caluini tempora aſſerat obtinuiſſe. Ita tacitè quidem fatetur, Reges prioribus ſæculis malè habitos; ab ijs autem, quos hæreticos ſalutat, Scripturas in medium productas; inde Regum iura, ante Paparum fraude ac tyrannide ſepulta, luci reddita, orbique propalata. Quod Belgas, Suecoſque attinet, eorum exempla factum ſapiunt peculiare, nec vllam in partem quæſtioni noſtræ inſeruiunt. Illis, citra religionis cauſam, etiam politicæ ſuppetunt rationes: quibus dijudicandis ego me hic arbitrum non interpono.

Quem nobis obtrudit, Iunius Brutus noti nominis eſt, ignoti hominis: a Romanenſi fortè aliquo per ſtropham conſarcinatus, eo fine vt reformatam religionem Principum odijs degrauaret.

Buchananum inter poetas numero, non Theologos. Qui ſi in voces aliquando proruperit male temperatas, feruido eius ingenio, temporumque illorum turbini, non

rectæ, quam imbiberat, religionis placitis regulisque illud imputandum.

Barclaius, quem allegat, de Regibus non loquitur detrudendis, sed cum ipsi se Regno sponte abdicarunt, tum demum pro non-regibus habendos concedit. Qui autem Regi liberam permittit optionem imperij vel retinendi, vel deserendi, non ideo eundem Papæ submittit deturbandum.

De Gersone satis a nobis supra disputatum; ac quæ illi larua a D^no Perronio induta, ostensum. Verbo hos omnes vt absoluam, non est mihi animus singulas præstare priuatorum sententias: Id nobis abunde satis est, quòd in religionis nostræ penetralibus nulla lateant huiusmodi seditionum monstra, in scholis nostris nulla tradantur instituta, quibus iuratæ obedientiæ religio conscèleretur, in Ecclesijs, synodisque nostris nusquam in hanc perfidiæ tesseram exitialem, portentosamque conspiretur.

Richerius. Quod si Francorum quispiam, aliter olim animatus, mutatâ iam sententiâ pro Regum libertate contra Paparum insolentiam sentiat, is profecto, quod errore tam turpi, ac pernicioso se extricauerit, dignus est, qui serio laudetur, ac nostro Cardinali sanioribus institutis valedicenti longè præponatur, vel etiam opponatur. Horum & motus contrarij, & metæ aduersæ. Hic nempe a malo ad bonum redux, ille a bono ad malum transfuga.

Tandem aliquando orationi suæ calcem concinnum adaptaturus, copiosas Regis sui, qui iam rerum potitur, laudes cantillat. Eum Ecclesiæ filium appellitat primogenitum

genitum, gemmantemque lilij propaginem: cuius pulchritudinem nec Salomonis pompa triumphalis adæquârit. Tum nos in hiſtoriarum prata manu ducit; quibus vel conſpectis nos edoceri ait, quamdiu cum ſede Apoſtolica concordiam coluerint, Papiſque adhæſerint Franciæ Reges, quamdiu Eccleſiæ ſponſus inter lilia fuerit pabulatus, tamdiu eam verâ beatitate floruiſſe regionem, tum in Regum populique capita bonis temporalibus, donis ſpiritualibus affatim depluiſſe. Contra autem quoties à cathedrâ ſacroſanctâ ſe abiungerent, toties lilia ſpinis eſſe obſeſſa, aculeatiſque calamitatum omnium ſenticetis obruta, & ſuffocata elanguiſſe.

Ego verò apertè rotundéq; reſpondeo, hæc nihil ſyncerum ſonare; nec hominis ſubditi eſſe, laudum incantamentis Regium caput demulcere, ſummum interea ſceptri apicem furtim deprimere, lutoque immergere. Quid enim facit aliud, qui Regi, vt ſeruitutis iugum induat, fœlicitatis nomen obtendit? Sed quoniam ad experientiæ, hiſtoriæque vocem amandamur, videamus num crebris à Romanâ ſede ſeceſſionibus regni illius fœlicitas corrupta olim fuerit, aut etiam interrupta. Philippi quidem Pulchri tempora pax alma proſperique ſucceſſus bearunt; etiam inter feruidos cum Sancto Patre conflictus, ſatiſq; acerbas Pontifici in os regeſtas contumelias. Ludouicus XII. cohortes aperto Marte fudit Pontificias: Iulium II. Papatu excidiſſe palàm pronunciauit, ipſique Romæ Babylonis cognomentum adſcripſit, non chartis exaratum, ſed nummis incuſum aureis: Ipſe interim ita ſuis omnibus charus, ita apud exteros illuſtris, vt Patriæ Patris cognomen reportârit.

Maiorem

Maiorem mihi domeſtica, & propria faciunt fidem. Mea magna Britannia, tum verè Magna, tum demum quàm vnquam antea, pace beatior, vbertate affluentior, theſauris cœleſtibus cumulatior, poſtquam Papali ferulæ ſubduxit manum, poſtquam legatos auriſugas Beati Petri vectigal corraſuros expectare deſijt; poſtquam Angliæ Reges tricorone numen ſeruili obſequio non ſunt amplius venerati, nec Monachorum virgulas cute ſuâ attriuerunt. Quid Holandiam, Zelandiam, Phriſiam commemorem? quàm tenues olim, exileſque prouincias, quantis iam, diuino munere, opibus auctas, quantis militiæ, induſtriæ, artium munimentis ornamentiſque ſplendidas, ex quo, diſſipatis Papalium ſuperſtitionum tenebris, gentes illas diuinitùs obortus Euangelij dies illuſtrauit? Sereniſſima Venetorum reſp. nunquid Solem experitur magis torridum, num mare magis fluctuoſum, num ciues minùs frugi, ex quo Pontifici gemellorum gladiorum alterum de manu nuper extorſit, eiuſque dominio temporali plumas auulſit, vel potius neruos eliſit? Ex altera autem parte, Franciæ Reges, poſtquam in Pontifices Romanos primo vrbes regioneſque, quas in Italia poſſidebant, ampliſſimas, dein Auenionenſem in Gallia Narbonenſi Comitatum contuliſſent, à beneficiariis ſuis ingratiſſimis ſatis quidem inclementer, duritèrque ſunt excepti. Romani Pontifices, vt donationum Pepinianæ, ac Carolinæ memoriam obliterarent, illam ſub Conſtantini nomine fictitiam orbi obtruſerunt. Iidem Pontifices regnum Gallicanum ſeditionibus, turbiſque inquietarunt; Ludouici Pij Regis integerrimi, atque innocentiſſimi degeneres filios

ac rebelles in patrem acuerunt. Iidem Romani Pontifices regnum illud pijs ſcilicet fraudibus, artibuſque quæſtuarijs expilârunt, quorum vt auaritiæ metas ſaltem aliquas, ripaſque opponerent, Franciæ Reges ſalutarem *Pragmaticæ ſanctionis* obicem conſtruxerunt. Iidem denique Pontifices regnum illud Interdicto ſæpius damnârunt, Reges maieſtate, ſceptroque ſpoliârunt, vicinos ad regnum inuadendum, populum ad Reges ſuos debellandos extimulârunt. Vnde bella, ſqualor, vaſtitas, regumque parricidia inſequuta. Nouiſſimum humani generis monſtrum *Rauailacus* hanc facinori patrando rationem cauſſatus eſt, quòd Rex, inquit, Henricus Deo bellum intuliſſet: hoc eſt, in Papam bellum fuiſſet meditatus. Regicidæ ſcilicet Deo ſemper pleni, ſed ſuo. Quo magis profecto miror D^no Cardinali quid in mentem venerit, quòd poſtremos Galliæ motus inter exempla numerauerit infœlicium à Papa ſeceſſionum: cum à Papa ipſo, eiuſque incendiarijs eæ bellorum faces ſint accenſæ, atque eiaculatæ. Si, Pontifice per Regem, populumue Gallicanum læſo, atque offenſo, illi genti aliunde, quàm a Româ, increbuiſſet damnoſa tempeſtas, puta cælitùs immiſſa peſtis, aut fames, hæc fortè ſpeciem præ ſe ferrent aliquam Dei iniuriam Vicario ſuo illatam vindicantis. Cum autem ſe Papa horum malorum artificem, fabrumque præſtiterit, non iam Deus Papæ vlciſcitur iniurias: ſed Papa ſuas: imo non ſuas: ſed, quod peius eſt, plane nullas. Gentem igitur aliquam damnorum præteritorum recordatione excitare ad Papæ gratiam aucupandam, eique nexu inſolubili adhærendum, non eſt ſuadere vt ametur Papa,

ſed calamitatum, quas ſubmiſit, atque inflixit Pontifex, memoriam refricare, ac eiuſdem minas, & fulmina terrori obtendere, quæ nemini, niſi ſuperſtitiosè meticuloſo vnquam nocuerunt: meo certè regno mirum in modum profuerunt, plenoſque cœleſtium benedictionum imbres in populi mei capita deuocârunt.

Quòd ſi quandòque contigerit tum floruiſſe Galliam, cum Papam amore & reuerentiâ proſequuta eſt, hoc inde euenit, quòd Regum proſperâ vtentium fortunâ Pontifex amicitias ambire ſoleat. Non ideo Regibus ſuccedunt ex voto omnia, quòd cum Papa ſuauiter in vnum conſpirent: ſed ideo Papa aſpirat Regibus, quòd eorum opes potentiamque intueatur. Hirundines veris non cauſæ ſunt, ſed comites: Regnorum fœlicitatem Papa ſequitur, non ſerit; inuenit, non inuehit. Sin gentem quampiam funeſta peruaſerit calamitas, ſi in regni viſceribus bellum coquatur inteſtinum, reip. periculoſum, ciuibus formidabile; ſtatim conſurgit, quieſcere neſcit, ac (ita ſaluandarum animarum curâ ſauciatur) medijs ſe turbellis inſinuat, ad commune incendium accurrit, non reſtinguendi causâ, ſed diripiendi. Si, victo & oppreſſo Rege, nouus regno dominus ſit induendus, ita negotium nectit Pontifex, vt recens ille Solij inſeſſor eius auſpicijs regnum adeat, eius nutu adminiſtret, eius denique ſe agnoſcat beneficiarium. Sin brutis Papæ fulminibus fruſtrà diſploſis, Rex prior hoſtiles copias fregerit, continuò ad victorem ſerenus, ſuauis, gratulabundus accurrit Sanctus Pater, omnes indulgentiarum theſauros aperit, eumque, quem modo peſſundare non valuit, iam miſerecordiæ gremio fouet ac amplexatur.

Iſthæc

Isthæc per orbem Christianum iamdiu pestis inualuit, occulto, iustoque Dei iudicio, Regibus stuporis spiritum incutientis. Quibus per sæcula iam non pauca in summâ rerum ignoratione versantibus, ac superstitionum nube obuolutis, regna interim, sub fallaci pietatis vmbrâ, tributis onerata, atque exhausta sunt, ac ipsa diademata seruitutis iugo fœdè mancipata. Qui corda Regum manu librat, ac pro arbitrio, velut aquarum ductus, facile inflectit, solus potest, cum sibi visum fuerit, eosdem è somno hoc profundo excitare, solus, excusso veterno, prohibere, ne eorum ampliùs patientiæ insultetur, potentiæ illudatur; qui iamdiu, quasi tauri robustissimi filo tenui a puerulis circumducti, ita iniectis conscientiæ laqueis inanibus, authoritatem suam constringi passi sunt, captiuamque post Pseudopetri currus triumphales traduci maiestatem. Illi Regum Regi sceptrum meum supplex submitto, illi diadema ad pedes venerabundus aduolo: illius me mandatis famulum, prælijs pugilem exhibeo. Huic præsertim causæ adeo iustæ, ac necessariæ assertor lubens prodeo; palàmque orbem Christianum vindicias postulo secundum meam, meorumque, quos in solium euexit Deus, fratrum libertatem: paratus semper & calamo, & gladio tueri, a solâ diuinâ pendere Maiestatem Regiam. Cuius splendorem radiolosque, qui hoc caput ambiunt, omnes æterno, a quo euibrati sunt, luminum Patri reflexionis ordine remitto, famulatus iure debeo, omni officio voueo, humiliterq; consecro.

**
*

